



A N D R E A E

N A V G E R I I P A,

T R I C I I V E,

N E T I O R A T I O,

N E S D V A E,

C A R M I N A

Q V E

N O N N V L L A.



C A V T V M nequis Librarius hæc impune describat, uendat'ue, prout in Senatus Veneti, ac totius Italiæ Principum decretis patet.

Est hic humanissime Lector cur & fragilitatis uitæ hu/
 manæ recorderis, & quantum magnis sæpe uiris fortuna
 inuidere solita sit, possis agnoscere. **A N D R E A S**
 enim **N A V G E R I V S** uir tum acri iudi/
 cio, tum dicendi arte, quanta uix alius: quum annum
 ætatis quartum & quadragesimum ageret: immatura mor/
 te præuentus, nec quæ iam pridem moliri cœperat, scri/
 bere, nec quæ iam scripserat, ut absoluta atque undique
 perfecta legerentur, facere potuit. nam quum ex Hispa/
 niensi diuturna legatione uix dum Venetias rediisset, uis/
 que alia belli maior, proxima æstate, aduentu Cæsaris in
 Italiam, exarsura esse uideretur: ineunte uere, celeri, ac (ut
 fieri potuit) citato cursu, orator in Galliam mittitur. unde
 in morbum incidens, quum uix primum patriæ officium
 præstitisset: Regem semel aut iterum allocutus, triduo fe/
 re' absumptus est. & quoniam uir summi ingenii, sum/
 mi'que etiam spiritus, & qui se ipsum probe cognosce/
 ret, quæ fecisset, non esse eiusmodi putabat, ut inuulgari
 citra sui nominis iacturam possent: dum tantæ existima/
 tioni, quanta iam ipse apud omnes eruditos omnium fe/
 re' nationum agebat: utpote nec polita satis, nec unquam
 recognita, non usquequaque responderent: quæcunque
 apud se habuit, igne deleuit. quod quidem coniectura
 colligi facile iccirco potest: quia & adolescens adhuc, quum
 se ad bonorum poetarum, ac cum primis Virgilii imita/
 tionem traduceret (ut eius ad Vulcanum epigramma te/
 statur) syluas suas Statii imitatione factas exussit. nisi quis
 forte suspicari malit: ea furto alicuius, quo tum ille fa/
 miliariter uteretur, periisse. nam erat re uera cum amicis
 omnibus minime dissimulator. Verum (utcunque se se res
 habeat) libri eius de uenatione duo pulcherrimi heroico
 carmine scripti, & unus de situ orbis eodem stilo confe/
 ctus, item'que lusus complures, quos alias amici eius le/
 gere, nusquam

gere, nusquam omnino apparent. atque, ut omittam lau-
dationem illam, quam in funere Cypriæ Reginae de Ve-
neta Corneliorum gente nobilissima publice habuit: &
alia multa, quæ pari iactura perierunt: quo piaculo dixe-
rim luculentissimam historiam ab ingressu Caroli octavi
in Italiam ad hæc usque tempora, tot uigiliis, tantoque
labore deductam desiderari? sed quis hanc culpam præ-
stare debeat? quando (ait poeta) ducunt uolentem fata,
nolentem trahunt. Amici igitur hæc, quæ uides, & qui-
dem pleraque imperfecta, quoniam omnino extabant: uel
clanculum exscripta, quum adhuc essent in litura: uel fa-
miliaribus tantum immatura quamuis olim tradita: uel u-
ti quasdam funeris eius reliquias collegere: satis pietati suæ
datum existimantes, si haudquaquam penitus tanti uiri
memoria tam exiguo uitæ spatio terminaretur. decre-
ueruntque etiam propediem librariis dare Marcum Tul-
lium, Terentiumque, & alios aliquot bonos auctores, quos
ille industria sua penè incredibili, collatis omnibus ubi-
cunque terrarum egit: exemplaribus, castigatiores effece-
rat. Tu itaque lector optime, siquid in iis te iuuerit: aut
hæc non omnino displicebunt: precaberis interim tibi,
ut quum diligens laboriosusque fueris, tuis tamen cœ-
ptis melior fortuna non desit.

I
A N D R E A E N A V G E R I I P A
T R I C I I V E N E T I O R A T I O
H A B I T A I N F V N E R E B A R
T H O L O M A E I L I V I A N I .

S I Q V A N T V M in me doloris est, tan-
tum esset ingenii: sperarem profecto parem me Bar-
tholomaei Liuiani laudibus orationem habitu-
rum. cum uero ingenium, uel minus etiam quam
mediocre sit: tantus autem mentem dolor opprimat: ut is uel
maximi cuiusque ingenii uires possit infringere: si quidem flen-
dum sit, nullus me magis idoneus: si praclarissimæ maximi hu-
ius Imperatoris laudes celebrandæ, nullus minus reperiri po-
test. sunt illæ quidem tam illustres, ut omnium oculos in se
trahant: ut nemo sit, qui eas non uideat. quoties tamen mi-
hi in mentem uenit: quam' alieno hic tempore nobis ereptus
sit: concidit animus: quæcunque dicere institui, e' memoria
omnia dilabuntur. dolere solum iuuat: doleo meo, doleo ip-
sius, doleo reipu. nostræ, doleo bonorum omnium, qui ubi-
que sunt, nomine. meo, quod illum, qui me unice amabat:
quem ego uelut instar quoddam antiquitatis admirabar: tum
cum minime id timerem, amisi. ipsius, non quod mortem o-
bierit (ea enim conditione natus erat: ut aliquando morere-
tur) sed quod, cum unum maxime expeteret: unum a' diis im-
mortalibus uotis omnibus optaret: ut reipu. nostræ in eum gra-
dum restituere imperium posset: ex quo proximis bellis col-
lapsum erat: cum iam prope' esset, ut id perficeret: subita mor-
te interceptus, uoti compos fieri non potuerit. reipu. nostræ
nomine doleo: quod, cum illa hoc gubernante, e' maximis ac
turbulentissimis tempestatibus sæpe seruata, portum iam aspi-
ceret: erepto malo quodam fato gubernatore, medio in cursu
sit relicta. Substituitis uos quidem patres optimi fortissimum,
ac sapientissimum uirum: quo ad gubernaculum sedente omni

timore uacui esse debetis : interruptus tamen est cursus ille : secundus ille flatus deseruit : multæ possunt in infido hoc mari existere tempestates : quæ , si non submergere , at perturbare tamen res nostras queant . iam uero tantum in illo bonis omnibus præsidium semper fuit : ut hoc uno amisso , omnia mihi iam amisisse uideantur . hæc ipse cum mecum cogito : communemque hanc iacturam ante oculos mihi propono : ita succumbit dolori animus : ita auocatur ab instituto suo mens : ut quod me uertam : quod principium sumam : nesciam . in uos quidem uniuersos cum intueor : tristem mihi quandam ipsius moeroris faciem uidere uideor : doletis omnes : moesti estis omnes : sed quo magis doletis , hoc diligentius funus ducitis : honores mortuo , quos potestis , redditis : frequentes ad me audiendum coitis : ita uos ad ea , quæ debetis : præstanda , dolor adiuuat : mihi , ad ea , quæ debeo , maximo est impedimento . cohibebo eum igitur : nec committam , ut minus ego gratus in meo obeundo munere , quam uos in uestro estis : fuisse uidear . Solent omnes , qui quempiam laudant : quasi præscripto quodam , patriam , genus , educationem illius laudare : neque , id cum faciunt : sine certa ratione faciunt . Vt enim plantæ , cum bono e genere lectæ , feraci solo delectæ , frequenti adiutæ cultura sunt : tum demum uberes fructus ferunt : sic in hominibus cæterisque animalibus , genus , patria , educatio , multum refert . quod quanquam ita sit : aliam tamen ego quandam in Imperatore hoc nostro rationem sequar . omnia , quæ uere alicuius dici non possunt : prætermittam : animi uirtutes , quæ illius , in quo insunt : uere esse dicuntur : eas dicam . neque id a me tamen eo fieri arbitramini : quo is ignobili patria ortus , obscuro genere natus , male educatus sit : sed & maiora sunt ea , quæ mihi proposui : & , hæc si persequar , longior sim : quam aures uestræ pati possint . Quid enim ? Romam laudem ? at ea , si breuitati consulerem : multis laudibus defraudanda : si omnia explicare uoluero : uel perpetua multorum scripta repetenda . de Liuiorum genere dicam ? unus Salinator totum diem exposceret .
possem

possem equidem de Francisco Bartholomæi ipsius patre fortissimo & clarissimo suæ ætatis uiro dicere : sed nolo ex hoc riuulo in id flumen laudem deriuare , ex quo in eius etiam maiores laus maxima redundat . At pueritia sub Napolionis Vrsini disciplina acta , sub Virginii adolescentia , commemoranda : ad maiora festino . ego cum agrum fœcundum uideo : etiam si ut cultus sit , nescio : neque agricolæ laborem conspicio : ex ipso tamen fructu bene cultum iudico . uos item cum maximarum uirtutum prouentum , qui uere animi fructus est , uideritis : bene cultum animum existimare debetis . his ergo omnibus iam relictis , ad ea , quæ mihi dicenda proposui , ueniamus . Sæpe ego mecum (quod & uestrum cuilibet sæpenumero euenire arbitror) ea , quæ de ueteribus memoriæ mandata sunt , repetere soleo . cum magnos illorum temporum uiros ante oculos mihi proposui : præclaros quidem multos , multos omni laude dignos inuenio : sed unus est C . Cæsar , quem admirer . ac fuit , cum multa , quæ de eo dicerentur , ficta esse arbitrarer : neque tot tam diuersorum generum uirtutes cadere in unum hominem posse censerem . hanc mihi Bartholomæus Liuianus incredulitatem ademit . Cæsarem ille omnibus , quicumque unquam fuerunt : imperatoribus anteponebat : Cæsarem maxime imitabatur : fœlicitatem assequi eius non potuit (neque enim hoc in nobis est) uirtutes ita assecutus est : ut nemo unquam illi similior fuerit . ac ne mihi hoc loco ea , quæ de Cæsare scripta sunt : sint repetenda : quæ in hoc fuerunt dicam : uos ea , quæ legistis , taciti subiicietis . Primo quidem , quoniam de Imperatore loquimur : imperatoriæ omnes uirtutes , ita summæ in hoc fuerunt , ut in nullo magis . consilium in Imperatore summum esse decet : nisi enim quæ agenda sunt : prius consuluerit : casu quasi quodam res eius omnes ferantur , necesse est . neque hoc tamen satis : cum recte quippiam consultum est : tum industria etiam quædam ac celeritas ad id perficiendum requiritur . Quantus in ambobus his fuerit Imperator noster : e multis præclarissimis rebus eius gestis licet cognoscere . sed ego omnia non persequar : pauca quædam

perstringam. Bello illo, quod inter Gallos atque Hispanos super neapolitano regno acerrimum fuit: eo prælio, quod ad Lyrim gestum est, Hispanis affuit. longe superiores numero Galli erant: obiecerant se tamen illis Hispani, quo transitu fluminis prohiberent: sed cum hostium quotidie vires crescerent: nemo propè in toto exercitu erat, qui non ab incepto desistere, & munito se loco continere tutius arbitraretur. unus hic id sensit, quod solus nostra ætate ob res gestas magnus dictus, tunc Hispanorum Imperator, & secutus Consalvus est, & ei ut perficeret, commisit. itaque ille pontem in Lyri paucissimis diebus, semota quadam parte, tam secreto, ut id Galli nunquam rescierint: conficit. maximo silentio exercitum traducit: hostes uiribus suis confidentes, ac nihil tale suspicantes de improviso adortus, in fugam uertit. tanta cædes facta, ut qui è bello superfuerint: deditioem facere coacti sint. hoc ob facinus, ab egregio illo ac maximo Imperatore ita laudatus est: ut multa etiam præmia & ab illo, & ab rege postea ipso consecutus sit. Sed quid ego ea, quæ pro aliis gesserit, conquirō? nonne maxima sunt ea, quæ plurima pro nostra rep. nostros ante oculos, his bellis proximis facinora ædidit? Germanico bello, cum omnes in nos aditus effera illa gens tentaret: omni ex parte in nostros fines irrumpere conaretur: Cadubriensi cruento illo prælio non solum compescuit: sed & multa eorum oppida uic cepit: atque eò tandem redegit: ut potius quemadmodum sua tuerentur: quam' ut aliena inuaderent, cogitarent. atque ipsum illud prælium quomodo gestum est? occupato Cadubrio, perfracta iam alpium claustra, iam patefactum in nos iter Germanis omnibus credebatur. & profecto nisi admirabilis quædam uiri huius uirtus ipso in tempore subuenisset: turbulentissima tum procella illa, res nostræ omnes procubuisissent. magnæ, quæ iam aderant copiarum, in dies augebantur: tota in nos se effusura Germania uidebatur. quid hic interea? cum longissime abesse putaretur: ducto magnis itineribus per aspera quædam loca, atque oppleta niuibus exercitu, qua ne feris quidem unquam aditus patuisset: ita derepente, & a tergo
& ab omni

& ab omni parte se hostibus ostendit: ita omnem inclusis fugæ
 spem interceptit: ut subita illi atque inexpectata re perterriti,
 nec quid agerent satis scirent: & ad unum omnes, ne nuncio
 quidem cladis relicto, cæsi sint. Sapiens hoc ac salutare nobis
 consilium fuit, incredibilis celeritas: cum in omnibus hæc re/
 bus, tum in bellicis multum ualet: hac omnibus Cæsar præ/
 stitit: plura hac, quam militum multitudine bella confecit.
 hac noster Imperator nulli secundus inuentus est: hac magnis
 uos sæpius periculis liberauit. Ac, ne à Germanis discedam:
 occupauerant proximo illi anno amœnissimam illam, ac uobis
 opportunissimam Foroiulii regionem: suburbano uos uestro ca/
 rebatis: possidebant hostes. magnæ equitum, magnæ peditum
 manus ad portum Naonis coactæ erant. obsidebat Opsopium
 alius exercitus: quod solum oppidum Hieronymi Sauorgnani
 fortissimi atque amantissimi reip. huius uiri, uirtute defende/
 batur. magni intererat priusquam id expugnaretur: & hosti/
 um uires coirent: iis, qui ad portum Naonis erant, occurrere.
 quin id ageretur, impedimento Hispani erant: qui cum ad Ate/
 ste oppidum castra haberent: Patauii Imperatorem uestrum
 morari cogebant: neque is se inde commouere sine magno re/
 rum uestRARUM periculo posse uidebatur. sed persæpe euenit,
 ut ea facilius fiant: quæ factu difficillima putantur. consilium
 Imperator audaciæ plenum capit: omnem spem in celeritate
 ponit: cum expedita militum manu portum Naonis pergit:
 improuisos hostes occupat: alios cædit: alios capit: urbem re/
 cipit: nihil commoratur: magnis itineribus Opsopium ire con/
 tendit, nescio quomodo elapsus de hac cæde rumor paulo/
 ante quam nostri adessent: Germanos, qui oppidum obside/
 bant, in fugam uertit. ita illi è nostrorum manibus erepti
 sunt: Opsopium obsidione liberatum. Imperator Patauium
 reuertitur. Hispanis, discesisse, hostes profligasse, rediisse, si/
 mul omnia nunciata sunt: ita nihil in nos moliri potuerunt.
 multa cogor præterire ne nimius sim: sed hoc nullo pacto præ/
 tereundum est: quod eodem anno in Hispanos paucis mensi/
 bus post id, quod commemorauimus facinus, gessit. Totis

illis aestiuus Patauius egressus castra munitis locis habuerat : & cum eo amplius ob militum paucitatem non posset : satis a se fieri arbitratus erat : si hostem præda, ac populationibus prohibuisset . his hoc pacto ductis , cum ad Rhodigium iam Hispani , & propinqua circum loca in hyberna concessissent : & hic se tutissimos, tum obiectu Athesis arbitrarentur : tum quod nostros maxime despiciebant : ut qui nunquam tota aestate nisi ad tumultuaria bella castris progressi essent : occasionem sibi oblatam Imperator noster ad egregium aliquid patrandum ratus , magno itinere tota nocte confecto , ignaris hostibus flumen superat : securos ac nil tale suspicantes deimproviso aggreditur . Rhodigio nullis resistantibus potitur : partim obtruncat : partim capit . sic callidissimam illam gentem fefellit . quod nisi militum lassitudo , quam longo ac præcipiti ex itinere contraxerant : fuisset impedimento : omnibus , qui uicinis erant in oppidis deletis , iam tum ab Hispanorum iugo nostras has regiones liberasset . multa præter hæc proferre possem , sed historiam non scribo : uirtutes maximi huius Imperatoris mihi strictim percurrendas sumpsi . ac iam satis ostendisse uideor , neque in deliberando consilium , neque in agendo industriam in eo unquam desideratam . Sed cum hæc in Imperatore necessaria sunt : tum id etiam opus est : ne in gerendis negociis ulli se labori subtrahat : ne pericula declinet : sed his potius se nonnunquam offerat . Mirum est quam is semper labores omnes non solum non subterfugerit : sed & ultro appetierit . corpore quidem paruo fuit : sed ita tamen a natura compacto , ut laborum omnium esset tolerantissimum . hoc ille , quod a natura habuerat : sic confirmarat : sic exercitatione auxerat : ut unus esset , cui labor omnis uoluptas esse uideretur . Non illum hyemis , non aestatis uis , non pluuie , non uenti , non niues , ab incepto unquam ullo retardarunt : iuxta omnia patiebatur : labores omnes primus subibat : postremus ab illis desistebat : uel gregarii militis opera nonnunquam , cum id res posceret : fungebatur . hac re fiebat , ut nemo in toto esset exercitu : qui , cum Imperatorem ipsum nulla in re sibi parcentem

parcentem uideret : non ultra uires etiam omnia toleraret. Audite, audite, praeclaram Imperatoris uestri super hac re uocem. cum saepe omnibus iam fatigatis solus indefessus persisteret : admirantibus iis, qui aderant, dicere solebat. Non perinde ac militem (ut maior etiam eius sit labor) Imperatorem fatigari : ad militem nihil ex labore aliud quam lassitudinem peruenire : Imperatoris laborem magna ex parte leuari spe gloriae, quae consecutura inde uideretur. O, uocem magni indicem animi, eximia testem uirtutis, quae solam gloriam dignum se praemium arbitraretur : caetera omnia putaret contemnenda. At uero in periculis subeundis, qua fortitudine semper fuit ? in hoc quidem multorum reprehensiones saepe perpessus est : qui audacius se periculis obicere illum dicerent : quam deceret Imperatorem : cuius consilio potius quam manu res geri debeat. sed nae illi parum, quo se is tempore periculis obiecerit, considerarunt. non eo inficias Imperatoris consilium, militum manum, in bello exposci : sed incidunt tempora, cum uel maxime Imperator ipse in hostes irruere, primum se illis opponere debeat : cum scilicet laborat exercitus : cum superiores sunt hostes. nonne id aliquando Caesar ? nonne alii saepe maximi uiri fecerunt ? at is saepius quam alii : saepius enim aduersa laborauit fortuna. An (ut alia praeteream) in Abduensi illa clade, cum omnes in fugam turpiter uersi essent : capiendi tum consilii tempus erat ? consilio scilicet inhiberi fuga poterat. & consilium tamen egregium id dici potest, quo usus est : & multis saepe profuit. in perdita iam re extremum tentauit remedium : expertus est, an qui aliter fisti non possent : cum solum illum, aut cum paucis pugnantem uiderent : pudore adducti in hostem reuertentur. nihil profecit : relictus, uulneribus multis affectus, captus est. at nec medici quidem, cum desperatae iam salutis aegros curant : & periculosa adhibent remedia : semper proficiunt : at arti tamen suae obtemperant : neque reprehendi debent. anceps sit consilium necesse est, quo profligatis iam rebus succurritur. & nonnunquam tamen bene caedit. Quid

proxime? cum conferto iam prælio, ac confecto propè, regi su
peruenisset: acerrime Heluetii incumberent: labarent Galli: ita
dubia esset uictoria, ut inclinata propè Gallorum res esset.
nondum exercitus noster: ipse tantum, cum iis qui adsunt suis
atque aliis admodum perpauca adesset: nonne audax & peri-
culosum facinus aggressus est? cum paucis illis in confertissi-
mos Heluetios irrupit. id tempus exigebat. at irruptio illa
Gallos restituit: Heluetios in fugam uertit: uictoriam de-
mum regi faciliorem fecit. Non est cuiusquam præstare quid
eueniat: sed cum nihil eorum, quæ recte æstimanti facienda esse
uideantur, prætermissum est: quicumque sequatur euentus, lau-
dari is, qui id egerit, debet. aduersam ille sæpe fortunam per-
pessus est: nunquam sibi ipse defuit: omnia tentauit: omnia
expertus est: nunquam sine uulnere discessit: nonnunquam etiam
in hostium potestatem uenit. laudari debet, quod intentatum
nihil reliquerit: uacare culpa debet, quod successu caruerit au-
dacia. Sed non in hac solum re fortitudo omnis consistit. ma-
gnum quidem est res arduas præsentis animo aggredi: periculis
se obiectare: mortem non timere: sed alia quædam est etiam for-
titudo: ex qua hæc ipsa, quasi e radice quadam pullulat. hu-
mana contemnere: casus omnes despiciere: nulli homini, nulli
fortunæ succumbere: altiores animum habere, quam ut ob-
rui iis, qui in hac uita sunt, fluctibus possit. id demum est ue-
re fortem esse: hoc qui consecutus sit, mirum si pericula, si mor-
tem non timeat. Fuit hæc in Imperatore hoc nostro uirtus exi-
mia. humana omnia semper despexit. fortunæ ictus ita exce-
pit, ut animo semper esset erectior: nunquam uictus est, quin
ualidior tanquam hydra quædam, in hostem resurgeret: ut mi-
hi qui aduersam etiam fortunam uicerit, nunquam uictus fuis-
se uideatur. Dicit aliquis, spe quadam sustentatus est: nunquam
ita est uictus, ut se in hostem resumpturum uires non sperarit.
Funesto illo prælio, quod ad Abduam gessimus, captus est:
sine ulla exeundi spe, custodiæ traditus: ibi per quadriennium
fuit: quid interea? langori se dedit? magnum illum animum
querelarum sordibus inquinauit? nihil minus. uidete qua
tranquillitate

tranquillitate fuerit: rerum suarum commentaria, aliquot de re militari libros, unum de instruendo exercitu, conscripsit. O' fortitudinem animi singularem: quod alii nullis curis perturbati, pacatissimo in ocio, iucundissimis in secessibus, omnibus delitiis inuitati, uix faciunt: hic quin ageret, non carcer, non mille animum pertentantes curae, non qui illum ne quid scriberet, prohibebant custodes: impedimento esse potuerunt. multa scripserunt de hac uirtute philosophi omnes: uerbis illi, hic vitae exemplis eam ostendit. nec uero caeteris omnibus minus abundauit. Bellicae, quas haecenus diximus, uirtutes, speciosae illae quidem auditu sunt: nec sine illis magnus existere Imperator potest: sed & aliae tamen sunt, quae & maximo illi ornamento sint: & quamuis media in acie non uersentur: necessariae tamen admodum uideantur. ac primum quanta imperatorem iustitia esse debet? haec mater uirtutum omnium est: haec regula: sine hac ne latronum quidem coetus perdurare possit. summa in hoc fuit. Duo omnino sunt, quae iustitiam magnopere impedire soleant, odium, atque amor. qui odio adducti nihil iniusti egerint, perpauca admodum: qui amore, multo reperti sunt pauciores. ac criorum enim in bonis uiris amoris, quam odii stimuli sunt. neminem hoc ego unquam amicorum amantiorem noui: neminem, qui suos omnes magis dilexerit: eo usque tamen amore prouehabatur: ut cum sua omnia exposita amicis essent: nulli rei, nulli labori, ut illis obsequeretur, parceret: inter iustitiae tamen fines permanendum sibi esse iudicaret. Magna iustitiae pars est pietas: ut ab omni superstitione, sic ab omni impietate longissime abfuit. re potius, quam ostentatione ulla deos coluit. In parentes is semper fuit, ut cum puer adhuc esset, nunquam tamen cessandum duxerit, dum Franciscum patrem a Paulo pontifice maximo, in custodia iandiu habitum liberarit. Cum uero ii etiam, qui animos nostros rectis excolunt disciplinis: ii, qui nos instruunt, parentum loco sint habendi: qua pietate Napolionem Ursinum, sub quo pueritiam egit, semper prosecutus est? Audiui ego sae-

V
pius huius de illo sermones : ut optimum uirum, ut maxi-
mum Imperatorem laudabat : cum ipsa antiquitate compara-
bat : tam libenter, tam copiose de eius uirtutibus uerba fa-
ciebat : ut multis, qui aderant, nimius etiam nonnunquam
uideretur. Fide, quæ fundamentum iustitiæ dicitur, qua fue-
rit, si apud alios uerba facerem : mihi uel in primis dicendum
esse censerem : apud uos, qui eam experti estis : qui aliis testes
esse debetis : hoc unum dicam, multos uos quidem habui-
stis egregios Imperatores : qui tot uirtutibus floruerit, fortas-
se nullum : tali fide omnino nullum habuistis. non amici il-
lam, non hostes unquam desiderarunt. Iam eius liberalitas
oratione mea ut cognoscatur, non indiget. tot mihi huius es-
se possunt testes, quot eam experti sunt. omnibus patebat :
nulli fons iste claudebatur. id uere suum esse dicebat, quod
alicui donasset : id fortunæ iniuriis non subiacere : eo se cæ-
teris ditiores esse ardentissime desiderare. Multa tum in
priuata, tum in imperatoria vita sunt, quæ ab gerendis ne-
gociis interpellent : sed maiore nihil ui, quam uoluptates.
apposuit illas sensibus nostris quasi titillationes quasdam na-
tura : his cum indulgemus : cum frena laxius remittimus : ab
omni alia nos abstrahunt cogitatione. hinc data temperan-
tia est : quæ eis moderetur. hæc habenas regit : hæc in girum
eas rationis cogit : ac nobis obsequentes facit. hæc in Impe-
ratore nostro singularis fuit. Venatione tum, cum in ocio
esset, plurimum delectatus est : atque ea quidem uarie. cum ro-
bustiore esset corpore, in agrestes sues ferri : ursos aggredi : in
difficillimis quibusque exerceri consuevit. mox ingrauescen-
te iam ætate, leporum uenationes, falconum aucupia, secutus
est. his delectatus, cæteras omnes, quæ corpori, atque animo
officiunt uoluptates, quantum potuit, aspernatus est : nun-
quam in earum potestate fuit. Epulabatur ille quidem lau-
rissime : plurimi semper cum illo discumbebant : affluebant
epulæ omne genus : nihil ad regium apparatus deerat : id sci-
licet splendoris opinabatur. ipse in hac abundantia vno sem-
per cibi genere, & eo viliori uescebatur. hinc robustum illud
& nullis

& nullis morbis obnoxium, hinc laborum omnium patiens corpus; hinc modico satiabatur somno; hinc nunquam hebeti mente erat. Age uero quæ clementia, quæ humanitas in illo fuit? in nullo vnquam maior. atque hic mihi euellenda quædam è multorum animis, opinio est: quæ è quorundam aut maleuolorum, aut res non recte perpendentium sermonibus inhæserat. Crudelitas clementissimo Imperatori obiiciebatur: quod multos sæpe milites morte multaret: difficiles ad eum esse aditus dicebantur: quod ira percitus semper esset. de crudelitate primum loquar. Ego, cum ueteres illos Romanos, cum militarem eorum disciplinam considero: hac una uideo cæteris eos gentibus præstitisse: hac vna eo' peruenisse, ut iidem imperii, qui terrarum, fines essent. non calliditate Pœnos, non Germanos ui corporis superabant: disciplina una erat: quæ inuictos redderet. hanc ita tuebantur Imperatores: ita seruabant milites: ut qui paululum modo in ea deliquisset: nulla ei esset pœna recusanda. ob hanc Mallius ille Torquatus filium iussit interimi: & quod admirabilius est: filius ipse, qui ad mortem ducebatur: cum exercitum pro se in patrem seditionem parantem conspexisset, compescuit: affirmavit que neminem tanti esse: ut ob illum corrumpi disciplina deberet. disciplinam ille scilicet, qua patriæ vitam sustentari credebat: uitæ anteponebat suæ. Quid Appius Claudius? quid L. Paulus? non'ne ex iis, qui loco cesserant, decimum quenque securi percussit? non'ne idem mitissimus principum Augustus? non'ne alii Imperatores multi fecerunt? De Mallio non loquor: reliqui omnes seueri semper, & boni disciplinæ custodes, nunquam crudeles sunt habiti. crudeles habiti essent, si paucorum quorundam salutem patriæ anteposuisissent. Ignari scilicet ueteres illi ac crudeles omnes: nos sapientes ac mites: qui Imperatores nostros, cum non decimum quenque, ut illi, sed unum aut alterum ex toto exercitu, militaribus præceptis non obtemperantem pœna afficiunt: crudeles arbitramur. mirum igitur si nos exteræ nationes omnes contemnunt: nobis omnes insultant. iam in nostros fines, non ut ad bellum aliquod periculosum, sed ut ad

prædam expositam ueniunt. Pudet, pudet inquam dicere, omnem illam, quæ propria Italorum esse dicebatur: uirtutem amisimus. quod si disciplinam illam ueterem sequeremur: si Imperatores, qui restituere eam iam lapsam cupiunt: non crudeles, sed fortitudinis, ac ueræ uirtutis reuocatores crederemus: non audacius illi in nos irruerent, quam nos illos repellere mus. Semper hic uel in hostes ipsos fuit mitissimus: præter eos, qui in ipso belli furore cecidissent: neminem unquam interemit. Si è militibus quempiam aliquando supplicio affecit: deliquerat ille: militares leges contempserat. quod uos, si uestræ hæc urbanæ leges non seruentur, & facitis: & ni faciatis, omnia pessum eant: id in castris, ubi, si non adsit Imperatorum metus, uis dominetur necesse est: fieri non licebit? Solitus est Lacedæmoniorum dux Clearchus dicere, Imperatorem a militibus magis quam hostem metui debere. recte quidem ille: sed ego hostem metuat miles nolim: Imperatorem, uelim. Sed de his iam satis, pauca de iracundia dicam. Irascebatur ille quidem nonnunquam uehementius. hoc cum naturæ, quæ eiusmodi erat: ut facile iræ fluctibus efferuesceret: tum uoluntatis etiam erat. volebat ille irasci (ut aiebat) quod, cum se neque corporis proceritate, neque formæ dignitate quadam a natura honestatum uideret: si facilis ac mitis semper fuisset: ne contemptui esset, uerebatur: iracundia armari se quasi aculeis quibusdam dicebat. Sed ut hæc non probetur ratio: atque iracundiorem illum quam deceret, fuisse concedam. quid unquam ira perturbatus fecit: quod sedato etiam animo non fecisset? acrioribus usus est uerbis: at æqui ac boni terminos nunquam prætergressus est: nunquam in bonos uiros exarsit: magnam semper & iustam iræ causam habuit. si ea caruisset, non ille quidem melior fuisset vir: sed omnibus fortasse gratior. atqui cum ea deferbuerat, quam affabilis, quam comis erat? nihil eius consuetudine iucundius: nihil sermonibus urbanius inueniri poterat. Ingenio uero (ut ad id iam ueniamus) tam acri fuit: ut, cum literis paululum admodum uacasset: tam apte, tam acute, tam cum omnium liberalium artium peritis, quod

tis, quod sæpius facere consueuerat: de his ipsis, quæ illorum
 artibus continentur, rebus loqueretur: ut omnia de illis scri-
 pta euoluisse, omnia excusisse uideretur. qua in re multum
 eloquentia etiam quadam admirabili adiuuabatur. huius tan-
 tum ex eius ore flumen profluebat: ut omnes secum, quo' uel-
 let, raperet. audistis nos eum sæpe Patres conscripti: & ita au-
 distis: ut cum plurimum eius oratione delectaremini: animos
 tamen uestros impelli, atque in illius sententiam non inuitos
 trahi sentiretis. fuit hæc reipublice nostrae persæpe summopere uti-
 lis eloquentia, cum apud uos, tum uero apud milites maxi-
 me. si ad pugnam cohortandi erant: nemo acrius incitabat:
 si aliqua de re castigandi: nemo grauius, nemo seuerius repre-
 hendebat: si consolandi: nemo lenius ægris animis medeba-
 tur. Multa iam a' me de maximi huius viri laudibus dicta
 sunt: neque id tamen, quod maxime ad rem attinet: quantam
 militaris disciplinæ scientiam habuerit, ullo modo prætermi-
 tendum est. Floruit hæc quodam tempore maxime disciplina:
 tunc scilicet, cum ueteres illam Romani coluerunt. multi tunc
 in ea viri excellentes & clari extiterunt: neque id mirum. omne
 studium, omnem operam in ea omnes collocabant: eam non
 solum, quod & opes & honores pareret, sequebantur: sed,
 cum uariis quotidie uexarentur bellis: neque ulla perfrui quie-
 te possent: necessitate etiam quadam ad illam compellebantur.
 postquam uero omnibus deuictis, pax Italiae parta: bella aut
 nulla, aut longe a' domo gerebantur: exarescere ac collabi pau-
 latim coepit. Hispaniæ, Galliæ, Pannoniæ, extremæ cæteræ
 imperii prouinciæ, suis quæque legionibus custodiebantur.
 hæc cum in iisdem locis diutius permanerent: in externos mo-
 res paulatim mutatae, in his, quæ cuique obuenerant, regio-
 nibus, ad hoc usque tempus perseuerarunt: disciplinam assi-
 duis bellis exercitæ, non ex toto amiserunt. In Italia, in qua,
 uel nullæ relictæ legiones: uel, si quæ relictæ, longa pace mol-
 litæ, ocio se atque inertiae tradiderunt: omnis penitus eua-
 nuit. atque eo' tandem uentum est: ut paulo supra nostram
 ætatem, quoties bella Italis gerenda essent, conducendus e'

Germania aut Pannonia miles esset : Itali, uel tubarum sonum
 atque armorum splendorem reformidarent. nostra demum æta
 te excitari aliquantulum sopita illa uirtus cœpit : sed pauci ta
 men, qui antiquam illam disciplinam scirent, inuenti sunt. Impe
 rator noster q̄ exacte illam calluerit, uel ex hoc considerate. Cum
 primum Imperator est uester factus : ita corruptum exercitum
 accepit : ut ad alia omnia potius, quam ad gerendum bellum
 idoneus uideretur. fecit id, quod in Africa Q. Metellus Iu
 gurthino bello fecit : arctioribus legum uinculis astringendo,
 continuis laboribus fatigando, ordini assuefaciendo, grauissi
 mam iis, qui locum desererent, pœnam proponendo, ita bre
 uiter correxit : ut eo & res uestras acerrime tutatus sit : & egregia
 multa facinora ædiderit : & hostibus, quibus antea contemptui
 erat : formidabilem reddiderit. Affui ego nuper, cum per eas
 iter faceret regiones : in quibus, cum ob non satis perspectos
 incolentium animos, tum ob propinquos hostes multa timen
 da essent. tam caute incedebatur : ita ordinem seruabant o
 mnes : ita ab agmine discedebat nemo : ita uel calones ipsi sub
 suis signis ibant : ut ego, & reip. nostræ maxime gratularer : &
 disciplinam iam antiquam illam restitutam arbitrarer. Iam
 uero in reliquis artis huius partibus, expugnandis, defenden
 dis que urbibus quantus fuit ? nolo nunc uobis, ut septimo ab
 hinc anno, Carmontium, Noriciam, Tergeste, Postoniam mu
 nitissimas urbes, in ditionem uestram redegerit, commemorare :
 nemo est, qui nesciat. hoc vnum dicam : iam Brixia, iam Verona
 potiti essetis : si sæuissima id nobis mors non inuidisset. Scio
 quid loquar : coniectura non fallor : nihil illi inuium, nihil sa
 tis munitum esse poterat : omnes aditus, omnes expugnatio
 num modos, omnes astus norat. Idem, si aliqua defenden
 da urbs esset : ita omnibus hostium conatibus ire obuiam scie
 bat : ut nihil in eum tentari posse uideretur : quod non irri
 tum fieret. Testis mihi sit celeberrima illa Braccani oppugna
 tio : quam ita tolerauit : ut, cum urbs vndique innumeris Ale
 xandri pontificis maximi copiis, qui Vrsinum nomen delere
 instituerat, premeretur : hic cum quingentis tantum propu
 gnatoribus

gnatoribus resisteret : non solum eam tutatus sit : sed & facta
 sæpius eruptione , multos trucidarit : tormenta oppugnatoria
 non pauca abduxerit : ab obsidione desistere demum coegerit.
 Sed quid ego aliunde testes uoco ? satis amplum mihi testimo-
 nium præbere urbs vna Patauium potest . non'ne hæc ab Hi-
 spanorum ac Theutonum impetu conseruata , his deinde ab il-
 lo aggeribus , his turribus , his fossis munita : ut vna' omnes
 omnium vndique gentium exercitus , omnem vim , contemne-
 re : ac nostræ non solum reip . sed totius etiam Italiæ propu-
 gnaculum quoddam ualidissimum dici possit : non'ne id do-
 cet ? nihil in hac esse bellorum scientia , quod huius ingenium
 subterfugerit . Tormentis quidem illis bellicis , quibus nos ita
 antiquitatem superamus : vt his iam solis prope' bella omnia
 cōficiantur : urbes certe nulla re magis aut expugnentur : aut
 defendantur : non solum optime vti , sed & ea qualia esse , qua
 ratione fieri deberent : tam exacte norat : ut eorum etiam ar-
 tifices , multa nonnunquam ab eo docerentur . Ex his tot
 ac tantis , quas de hoc viro commemorauimus virtutibus : ma-
 ximam apud suos , maximam apud hostes auctoritatem con-
 secutus est . Atque in secunda quidem fortuna , maximi ab ho-
 stibus fieri & usitatum , & non magnum est . hic cum tertio ab
 hinc anno infoeliciter in Hispanos , ad Vincentiam pugnatum
 esset : & se post incommodum illud , Patauium recepisset : tantæ
 tamen apud hostes existimationis fuit : ut hoc vno urbem uo-
 bis illam conseruatam putem . An creditis longitudine itine-
 ris , viarum asperitate , timore aliquo noui exercitus , quod ur-
 bem scirent munitissimam , hostes retardatos ? nihil horum
 fuit . non longe aberant : faciles vndeque accessus erant :
 omnes uestras vires in eo , quem ipsi fuderant , exercitu , positas
 sciebant : vrbs ipsa nondum iis , quibus nunc est , munitioni-
 bus erat instructa . quid igitur eos deterruit ? vnus Impera-
 tor uester : vnus inquam Imperator uester uobis eo tem-
 pore urbem illam , qua spiritum ducitis , conseruauit . Tanti
 illum faciebant : vt aegre se victoriam consecutos crederent :
 urbem uero , in qua ille esset , expugnare , penitus desperarent .

IIIIV
Considerate iam ea, quae a nobis haecenus dicta sunt: nihil huic, quod ad optimum virum, nihil, quod ad summum Imperatorem constituendum opus sit: defuisse inuenietis. vna defuit fortuna. haec cum illo acerbissimum semper bellum gessit. uoluit scilicet id uerum esse ostendere, quod de ea dici solet: aduersam saepe consilio esse. nunquam hic non optime consuluit: nunquam iis, quae ad perficiendum id, quod consultum est, pertinent: caruit: bono saepe successu caruit. at hoc quidem praestare potest nemo. Maiores fortunae accessione virtutes eius fieri non potuissent: illustriores potuissent. nullius vnquam res gestae Imperatoris, si consilio fortuna subscripsisset: admirabiliores fuissent. multis se illa magnis, atque egregiis huius consiliis opposuit: multas cogitationes ab eo, quod destinarat: saepe diuertit. atque, ut alia omnia praeteream, quis extremo ex hoc actu, cuius maxima, ut quis foelix aut infoelix dicatur, ratio habenda est: non fortunae in illum iniuriam cognoscat? plurimos toto hoc septennio, cum in misera illa captiuitate, tum postea aduerso hoc ac difficili reipublicae nostrae tempore, labores pertulerat: cessasse iam tempestas omnis, atque inducta quaedam tranquillitas vi debatur: parta regi socio atque amico uestro de Heluetiis victoria, Hispanis referre pedem coactis, nihil erat, quod a uobis ille, quod a rege sperare non posset: iam de illius uos, de suorum ille militum praemiis cogitabat: cum ecce malo quodam fato, non ferro, non tormentorum ictu ullo, sed, quod miserrimum est mortis genus, ui morbi extinctus est. O importunam sortem: o inuida nonnunquam fata: quantum aberat, ut Verona ac Brixia receptis, quod uel solo eius aduentu fieri posse credebatur: nos rebus iam per eum nostris in tuto collocatis, omnibus eum honoribus, omnibus laudibus prosequeremur: ille gloria quadam immortali frueretur. multo tum illi minus acerba fuisset mors. quanquam eam hac animi fortitudine tolerauit: qua alia aduersa multa solitus est perferre. vnicum, & eum nondum bimum puerum, tres adolescentulas, & egregiae indolis filias, praclarissimam, ac sui amatissimam

tissimam uxorem relinquebat : relinquebat hos omnes , qui hic adsunt : hos a' paruulis ipse disciplina instruxerat militari : hos ut filios diligebat : horum opera in multis bellis usus fuerat : neque unquam non fortissimos , ac sui amantissimos uiros norat : relinquebat demum hanc nondum in tuto collocatam remp. Non negare se dixit ob hæc omnia sibi mortem acerbam esse : consolari se tamen , quod neque orba filiorum ætas , neque uidua ac sine præsidio futura uxor uideretur : uos omnes non ut tutores solum , sed ut bonos parentes illos amplexuros , hanc protecturos pro comperto habere . amplissimum hoc patrimonium , firmissimum præsidium esse . Quod uero his suis ea , quæ a' se mererentur præmia , reddere non potuisset , id ferre ægrius : eam tamen in uobis prudentiam semper nouisse : ut speraret uos eorum uirtutem non paruifacturos : neque ullo sumptui parsuros , ut hoc fortissimorum iuuenum robur , has uires , reipu. uestræ , cui magno usui esse possunt : conseruetis . vltimum illud , quod , cum adhuc nostra eius operam desideraret resp . tum moreretur : id sibi esse grauissimum . Sui quidem nullam curam habere : sexagesimum iam annum complexisse : satis uixisse , post mortem non dubitare sibi æternam inter deos sedem paratam : unde hæc humana despiciens , ueram illam ac bonis omnibus affluentem uitam degat . Hæc cum dixisset , iis omnibus , quæ a' religione præcipiuntur , peractis , ita tranquille decessit : ut non aliam in uitam , sed aliam in domum commigrare uideretur . opinione ego illum sua frustratum non arbitror : inter deos sedet : pace fruatur tranquillissima : iam fœlix dici potest : sed illius infœlix domus : hæc me dolore conficit : hæc maxime perturbat . minus infœlix puer , quod , cum nihil adhuc percipiat , quo patre sit priuatus , nescit : an eo' fortasse etiam magis infœlix , quo minus infœlicitatem suam sentit ? infœlices certe filia : quod & id iam cognoscunt : & ea ætate sunt , quæ nullas ad resistendum dolori uires habeat : infœlicissima uxor , quæ & filiarum lachrymis affligitur : & quo fœlicior prius esse omnibus uidebatur : hoc acrius dolet . Soli uos patres optimi his omnibus uul-

XI
neribus mederi potestis : amplexamini totam domum : nullum,
quod pios uiros deceat : officium prætermittite : sic & illi, si quis
mortuis eorum, quæ hic fiunt : sensus est : pergratum facietis :
cum sua se spe frustratum non uidebit : & uos uestrum munus
implebitis : ac grati ab omnibus iudicabimini . debetis hoc uos
illi multas ob causas : sed ob hanc maxime, quod ob rempu.
uestram obiisse mortem dici potest . dum enim nulla sibi pro
illa in re parcat : dum eos etiam, qui tolerari nequeunt, liben-
tissime labores subit : nullam de salute sua curam gerit : in eum
morbum incidit, quo extinctus est . quæ itaque suscipiendos
laborum, eadem mortis causa dici debet . Ei igitur, qui
pro uobis mortuus est : reddite, quæ debetis . uitam illi non po-
testis : iis, quibus maximo emolumento erat : reddite . id ita de-
mum a' uobis fiet : si filii mortuum patrem non cognorint :
uxor uiri præsidium non desiderarit : ipsius ii, qui adsunt fami-
liares, quæ ab eo sperabant : a' uobis fuerint consecuti . Extre-
mum id a' me fortasse nunc expectetur : ut hunc, quem ex egre-
gii huius Imperatoris morte mœrorem in omnibus uideo : uer-
bis coner mitigare : qui ego id possum ? qui ab aliis sim conso-
landus . Sed abiicienda tamen hæc omnis animi mollities : su-
menda illa uirtus, qua hic plurimum polluit : ferenda sunt le-
uiter omnia : omnibus est aduersis casibus resistendum . Vos
quidem, qui eum semper secuti estis, qui eius semper uirtutum
spectatores fuistis, hoc uel in primis decet . turpe est uobis, qui
nullos unquam hostes, nulla tela, nulla mortis pericula refor-
midastis : nunc dolori manus dare . Induite illam animi forti-
tudinem : quæ fortissimis, & quales uos estis, uiris conuenit .
an si uel paucis uobis in confertissimos sit hostes irrumpen-
dum : in instructissimas mille acies incurrendum : iubente id im-
peratore uestro recusetis ? noui ego uos : noui animorum ue-
strorum fortitudinem : noui amorem, quo illum prosequeba-
mini : ne morte quidem proposita absterreremini . Nunc cum
idem ille Imperator uester iubeat, ne diutius doleatis : morem
non geretis ? iubere autem id illum, si quis totam ab eo actam
uitam consideret : si uos præcepta ea, quæ quotidie auribus ue-
stris inculcabat

stris inculcabat, recordari uelitis: ita nulli dubium esse debet, ut hoc uno dolore uestro, uel maxime eius quietem perturbari putem. ferrei profecto fuissetis: neque humani quicquam in uobis fuisset: si hac tanta calamitate accepta non ingemissetis. sed iam dolori indultum satis: nunc omnem eius uim in hostem conuertite. ite, reip. subuenite: eum, quem debetis imitari: nolite committere, ut Imperatoris morte languidiorem militum uirtutem factam, hostes gaudeant, nos tristemur: ad hoc uos dolor incitet: ad hoc impellat. Vos uero reliqui omnes, qui adestis ciues, & horum, & aliorum, qui uobis adfunt, uirtute confisi, de rep. nihil dubitate: & omnem, quem ob hanc causam conceperatis: dolorem deponite. illius etiam causa non est, quod doleatis. bene cum illo actum est: ex misera hac uita in æternam illam sublatus bonis omnibus fruitur. neque uero cum recte considero cuiusquam mihi deflenda mors uidetur: tantumque abest, ut eum, qui ex hac uita celerius commigrarit: infœlicem iudicem: ut eo etiam fœliciosem putem. si quis sæua quadam in mari existente tempestate, multis simul soluentibus, quam celerrime omni uentorum ui, omni pelagi impetu superato, in portum, quo cursum direxerat, prouehatur: nonne is fœlicissime iter suum confecisse dicendus? reliqui quo diutius commorentur eo infœliciores habendi sunt? ita profecto se res habet. Simile ego quoddam in uita hac nostra reperio: nihil illa aliud est, quam in procelloso quodam mari nauigatio. ægritudines, mollitiæ, calamitates, aduersa alia, quasi huius uitæ tempestates dici possunt: portus ipse, quo cursus omnibus dirigendus, mors est. cur igitur qui in hunc portum ex illis fluctibus celerrime nauigarit, non eo haberi fœlicior debeat, quo citius tot malis ereptus in tranquillo constitit. non probatur hoc ita uobis fortasse, ut fœlices esse cupiatis. non probetur sanè: at eos tamen, qui eo peruenerint, non luctu prosequamini: sed fœlices ducite: ac si de uobis bene promeriti sint: non lachrymis, sed diuinis honoribus colite.

M .

D .

X V .

Die

X .

Nouembris .

ANDREAE NAVGERII ORA
TIO HABITA IN FVNERE
LEONARDI LAVRETANI
VENETIARVM PRINCIPIS.

CREDO EGO, si quis eorum, quæ a nobis geruntur, mortuis sensus est: Leonardum Lauretanum, cum ornatissimas has, quas illi celebratis, exequias, hanc pompam funeris, hunc nobilissimum conlessum uestrum, hunc uniuersæ ciuitatis mœrorem uidet: quod ex his omnibus quamplurimorum illius in reip. meritorum memores sitis, cognoscit: & libentissimo hæc animo accipere: & non parum beneuolentia, & pietate hac in se uestra lætari. Neque tamen, si quis recte consideret: ulla re illum magis gaudere, quam' his laudibus, hac uirtutum suarum prædicatione existimandum est. ut enim reliqui honores omnes, quibus uos mortuos Principes uestros ornare consueuistis: & quos nunc huic cumulatissimos redditis: & maximi sint, & pro amplitudine imperii, ac reipu. uestræ dignitate constituti: opulentiam tamen quandam potius, ac reipublicæ splendorem præ se ferre uidentur: quam' ut illi, cui tribuuntur, quicquam afferant: quod illius dici iure possit. laudationes hæc propriæ illius sunt, qui laudatur: neque quicquam ex his sibi alius uendicat. ac per aliquot, illi, dies in uulgi ore sunt: paulatim deinde e' memoria excidunt: & breui tempore contabescunt: atque, ut diutissime durent: memoriam certe hominum, qui eos uiderint, non excedunt. hæc, si quis recte eas scripserit, in dies augescunt: neque ullo tempore conficiuntur: sed ex eo potius uires sumunt: atque omnem superare posteritatem contendunt. atque illi, & eo tantum in loco, in quo exhibiti sint: atque ab iis tantum, qui affuerint, spectari queunt. hæc, totum orbem peragrantur: hæc, se omnibus passim ostendunt: atque eodem etiam tempore diuersissimis in locis esse

possunt. non immerito igitur, ut quisque est optimus, ita maxime laude ducitur: nec uehementius ullum in bonis omnibus desiderium est, quam gloria. difficilem quandam, & laboriosam uitae rationem suscipiunt: qui uirtutis uia niti constituerunt. nulli illis, non uel ultro suscipiendi labores, nulla non pericula subeunda, omnes contemnendae uoluptates, acerba saepe omnia perpetienda sunt. neque tamen tam agresti, ac fero animo quisquam habendus est: ut credendum sit, iis illum, quae naturae aspera, atque inimica sunt, delectari. quid ergo est? una laudis spes ac gloria, pericula & labores leuat: uoluptatum illecebras negligit: acerbitates mitigat. haec ut umbra uirtutem sequitur: atque ea merces est, quam unam illa molestiarum omnium exposcit: haec tam acres bonorum animis stimulos admouet: ut non solum, qui uitae eam commodis anteferrent, inuenti sint: sed multi, & hi maximi ac fortissimi uiri mortem ultro subierunt: ut immortalem sui memoriam relinquerent. hoc pacto se uitam, quae breuis admodum data nobis est: longissime proferre posse, atque aeternam prope efficere arbitrati sunt. Quae cum cognoscerent maiores nostri: hanc bonis a natura insitam cupiditatem gloriae, non solum alere, sed augere etiam, si fieri ulla ratione posset: reip. utile existimauerunt. atque ut in omnibus reip. partibus alia multa diuinitus, sic ad caeteros hos honores, qui defunctis Principibus constituti sunt: laudationes addi, & eorum celebrari uirtutes uoluerunt. his enim, non solum qui recte reip. praefuerint, quae meriti sunt, laudis praemia consequuntur: sed reliqui etiam, qui idem subituri munus sunt, ad recte agendum accenduntur: cum recte factorum gloriam non secum mori, sed ita memoriae mandari uident: ut tum maxime diuturnioris illam uitae initium sumere, affirmare possimus. Vnum fortasse sit: quod hoc tempore, in uestra hac pietate, in hoc tam grato in Principem uestrum officio, desiderari possit: quod non is illi laudator contigit: qui dicendo illius assequi uirtutes queat: qui idoneus sit, quae plurima ille semper aeternitate digna gessit, ita scriptis mandare: ut ad posteros peruentura, & in omne aeuum celeberrimum

leberrimum illi nomen prorogatura uideantur. sed ne ob hoc quidem, si quis id diligenter perpendat: quicquam est, quod queri possit. uos quantum in uobis est, omnia quæ a' gratis animis expectari possunt, præstatis. funus amplissimum pro eius in uos meritis, & reip. opibus ducitis: adestis ad id honestandum frequentes pat. optimi: adest uniuersus populus: nemo omnium est, qui non illum, ut optimum reip. parentem raptum fleat: qui non illum, quamuis tardissima senectute consumptum, ut primis tamen annis acerbissime ereptum conqueratur. ad hæc, eum ego pro concione laudare iussus sum. nihil, quod officii uestri esset, relictum a' uobis est. a' me est, si qua in re minus illius meritis satisfactum esse existimari debet. ego uero eas præclari huius Principis virtutes esse animaduerto: ut nullius unquam tanta dicendi vis, tanta ingenii facultas fuerit: quam parem illis celebrandis putem. quamobrem non mihi id vitio uertendum est: si eas assequi non possum: sed eo' ille admirabilior haberi debet: quo illius laudes, non mea solum, quæ minor etiam quam' mediocris est: sed & omni eloquentia maiores sunt. neque uero ob id sileri de illis decet. male enim se res habeat: si quo' plura ac maiora in quopiam ornamenta sunt: quod difficile sit illa oratione complecti: eo' de illo minus dicatur: atque eo præmio, quod vnum maxime virtus exoptat: ob virtutem maxime defraudetur. enitar igitur quantum a' me fieri poterit, eo munere, quod mihi iniunctum est, recte defungi: cui tum ego profecto satisfecisse existimandus sum: cum illa, quæ a' me dici poterunt, pro ea, quæ in me est dicendi facultate, explicaro. Primum omnium, quoniam de eo mihi Principe uerba facienda sunt: in quo vno, quæ in hominibus laudari solent, cumulatissime omnia inuenta sint: non id mihi solum considerandum est, quid a' me dici, sed multo magis, quid eorum, quæ plurima suppetunt, omitti oporteat. si enim ea, quæ dici possent, persequi omnia uoluero: neque id, quod mihi ad dicendum temporis datum est, sufficiat: neque aures fortasse uestræ pati possint. De pulcherrima igitur hac urbe, præclarissima hac repu. maximi imperii

III
fede, libertatis domicilio, totius Italiae, atque adeo terrarum
omnium tutissima quadam arce, & ipsius Principis, & nostrum
omnium patria communi, nihil est, quod hoc tempore dicen-
dum putem: quanquam enim non parui ad gloriam refert,
qua quisque in ciuitate sit natus: & ipse etiam praclarissimus
imperator Themistocles, si Seriphius natus esset, nunquam se no-
bilem futurum fuisse confessus sit: multo tamen ego ea magis
laude digna arbitror, quae in homine ipso sunt: quam haec ex-
terna, & quae fortunae arbitrio dispensantur. quamobrem de
ipso etiam Leonardi genere, quod & multo etiam uobis,
quam mihi est notius: non est, quod a me multa expectetis.
sed ne de tam illustri tamen familia omnino nihil audiatur:
hoc vnum dicam. vti Romae e' Curionum genere plures quon-
dam dicendi facultate, e' Scaeuolarum, iuris scientia praestite-
runt: ita Lauretanam familiam fato quodam huic reipu. da-
tam: quae seminarium quasi quoddam summorum esset impe-
ratorum, omnes prope huius reip. opes, omnis dignitas, quae
maxima est, maritimis rebus creuit. multa mari maiores no-
stri egregia facinora saepe gesserunt: multa hoc tempore quo-
tidie a praclaris Imperatoribus uestris, cum res exigit, gerun-
tur: atque ea semper nostrorum in hac re virtus apparuit: ut
non sine causa iam tot annos maris imperium Veneto nomini
concessum sit. sed si quis omnia recordari, aut ex annalibus
quaerere uoluerit: plures prope ex vna Lauretanorum familia
imperatores rem praclare gessisse, quam ex reliquis omnibus inue-
niet. ut mihi diuina quadam mente nomen huic familiae indi-
tum videatur: quae omni bello superior victoriae semper lau-
ream reportaret. Neque uero ex hoc genere ego quenquam
nominabo: ne de Hieronymo quidem Leonardi patre, & viro
optimo, & sapientissimo senatore quicquam dicetur: vnus mihi
sit Leonardus satis: ad cuius vnus laudes celebrandas omnes
orationis meae vires, quantaecunque haec sunt, conferantur. qui
cum praclarissima domi exempla haberet: ac maiorum sibi
suorum virtutem, non solum quam imitaretur, sed etiam quam
superaret, proposuisset: ita id consecutus est: ut in eam fami-
liam, quae

liam, quæ nullo pacto fieri illustrior putabatur: multum tamen luminis intulerit. Ac mihi quidem sæpenumero cogitanti, quam multa ab iis, qui præclaris e' maioribus orti sunt, expectari soleant: quàmque illis, si uel minimum quid deliquerint, nihil ignoscatur: dubium visum est, melius ne ac conducibilius homini sit, non ex ignobilibus quidem uiris nasci, sed ex iis tamen, qui non ita magni fuerint: ut eorum nobis gesta oneri futura sint: & eam fortasse expectationem excitatura: quæ nullo pacto sustineri a nobis possit. & profecto ita se rem habere comperio: quanquam hoc admodum tutum sit: nam & facilius errato est uenia: & si nihil feceris, non exigitur: siquid egregie feceris: id, cum non ut debitum præstes, gratius, ac magnæ tibi laudi est: longe tamen maiores res ab illis geri: quos & expectatio hominum, & parentum uirtus excitet. hæret enim eorum animis quasi fax quædam, assidua cogitatio: quæ noctes dies que illos ad egregium agendum aliquid inflammet: quo maioribus suis digni reperiantur: ac patrimonium gloriæ sibi ab illis relictum & tueri, & augere possint. hoc (ut alios omittam) in Principe hoc nostro facillime cognosci potuit. nihil erat, quod ab hoc homines non expectarent: sic maiorum ille suorum uirtutibus excitatus est: ut omnium tamen expectationem vicerit: tantum gloriæ a maioribus suis acceperat: ut difficillime eam tueri posse crederetur: sic illam auxit: ut non eos solum, sed omnes, qui vnquam fuerunt, principes superarit. at uero antequam de iis, quæ ab eo in principatu gesta sunt, loquar: totus ex ordine egregii huius uiri cursus, quo ad altissimum dignitatis gradum ascendit: proponendus uobis est: & ut quæque ab eo gesta sunt, ita quæque dicenda, ita ut ne incunabula quidem ipsa tanti principis prætermittamus. Cum puer esset: egregia quædam pulchritudo & probitate, & præclara ingenii adiuncta indole, sic in illo elucebat: ut cum multum ab his illa ornamenti acciperet: non minus tamen illius hæc essent commendatione gratiora. primam hanc ille ætatem in literarum studiis exegit: ac, quod mirum omnibus uideri possit, tantum puerili illa institutione, quæ vix primis

III
percipiendis rudimentis satis est, profecit: ut nunquam postea
sit literarum expertus habitus. Ut primum uero e' pueris excelsus
sit: simul ea, quæ se prius ostenderant, augeri videbantur: si-
mul prudentia ac virtutes omnes pullulare, atque admirabili
quodam prouentu se efferre cœperunt. cum'que ille iam quæ
maiorum suorum virtus fuisset, quid ab se illis deberi crede-
retur, consideraret: ac non multo post, cum tempus esset, ca-
pescendam sibi remp. constituisset: non in umbra, atque ocio
interea delitescendum, neque quid agendum esset, e' libellis qui-
busdam ediscendum: sed in solem atque aciem sibi prodeun-
dum censuit. ac maiorum quidem ille nostrorum morem at-
que institutum id secutus est: quo ego vno seruato, nostram
remp. maxime auctam, intermisso, non parum debilitatam pu-
to. Existimarunt maiores nostri, eos, qui ad remp. admini-
strandam admittuntur: omnium rerum peritos esse oportere:
facillime enim in scopulos intrudi rempu. posse: si imperitos
commissa sit. adolescentes ideo ac iuuenes sic institui: ut cum ad
remp. accedunt, gnari sint rerum, quæ necessariae sunt: summo-
pere utile & tutum esse crediderunt. præterea ut maximæ reip.
diuitiæ, cum usus posceret; præsto' esse possent: omni studio
sibi perficiendum esse opinati sunt. has enim non pacis solum
ornamenta, sed cum nonnunquam bella, uel inuitis etiam su-
scipienda sint: neruos illos esse, quibus maxime reip. vires su-
stententur. ad hæc cum admirabilem, & munitissimum hunc
huius urbis situm intuerentur: quo nulli exercitus, nulla vis,
nulli hostes, omni aditu mari intercluso, peruenire possint:
tum demum & hanc se inexpugnabilem reddituros, & rem ve-
netam maxime auctam iri arbitrati sunt: si mare, quo solo adiri
potest, ualidis classibus possiderent. hæc tria illi cum sibi effi-
cienda proposuissent: admirabili quadam sapientia vno omnia
instituto assecuti sunt. constituerunt enim, ut complures quot-
annis onerariæ triremes, quæ mercaturam exercerent, ad omnes
nostri maris oras, & extra hoc etiam quædam, nauigarent: at-
que in his patricos ire adolescentes uoluerunt. ex hoc id effe-
ctum est: ut, cum illæ, omnes prope' maritimas Asiæ urbes,
omne

omne interius Africæ litus, Hispanias, Gallias, omnem prope Europam, omnes, quæ circa eam sunt, insulas adirent: qui in his essent, diuersa rerum publicarum genera, diuersa imperia intuerentur: multarum nationum, atque hominum mores cognoscerent: ac per hæc prudentiores facti, cum exacta in his iuuentute ad remp. accederent: eam sapientissime administrarent. Atque ego quidem neque negare vlllo pacto possum: neque, si possim, negem: multa in libris inueniri, multa sapientissimorum hominum præcepta memoriæ tradita: quibus & hac, & omni alia in re, quæ homini agenda sit: instrui possumus. sed vt hoc non negem: sic id constantissime affirmare aufim: multos sine ullis literis ipso rerum usu edoctos, sapientissimos ac regendæ reip. scientissimos extitisse. prudentia enim ea nimirum est: quæ in omnibus, quæ a nobis geruntur, rebus dominatur. ea quanquam multa a literis habet adiumenta: eo tamen habet: quod quæ multi viderunt, quæ experti sunt, ea memoriæ prodita legere, & legendo institui, ac doceri possumus. quæ si adiumento esse nobis fatemur: quanto id magis referre credendum est: si quis, quæ alii legunt, videat: quæ scripta in libris sunt, in his ille uersetur: neque cuiusquam scriptis, quæ plerunque falsa sunt: sed ipsis rebus, quæ nulla ratione inuerti possunt: erudiatur. prudentissimos Homerus, Vlysses, & Nestorem, atque omnibus in rebus sapientissimos fingit: neque tamen aut ocio, aut literis deditos, vnquam comperimus. dum multorum ille hominum & urbes, & mores videt, prudentiam illam assecutus est. hic trium sæculorum spatio, plurima tum videndo, tum audiendo, atque ipse etiam gerendo, maximum rerum omnium usum adeptus, ac sapientissimus existimatus est. quæ cum maioribus nota essent: præclare quod a nobis dictum est, instituerunt. sed & id, etiam instituto illo assecuti sunt: ut mirum in modum reipublicæ opes crescerent: præter portoria enim, quæ maximum e plurimis, quæ & importantur, & exportantur rebus, reipublicæ emolumentum afferunt: auctis assidua mercatura priuatorum diuitiis, in hac præsertim administrandæ reipublicæ ra

LIIIX

tionem, augeri publicas necesse est. fiebat id etiam assiduis his nauigationibus: ut multi maritimæ rei peritissimi euaderent: atque hi quoties instruendæ classes essent, eam reipublicæ operam nauarent: ut non sine causa per tot annos uenetum nomen cunctis gentibus mari formidolosum fuerit: ac non solum his propugnaculis semper vrbs se nostra tutata sit: sed & longissime imperii sui fines protulerit. dolerem patres optimi institutum hoc aboleri: quererem iuuentutem nostram non iam his artibus niti, quibus hæc creuit respública: sed aliis captam studiis urbanæ se inertiae, atque ocio penitus dedidisse: nisi sperarem, ac plane iam viderem, omnia iam a' uobis, quæ proximi huius belli motu concussa, ac labefactata erant, firmari: neque quicquam prætermitti, quod uobis aut ad utilitatem, aut ad dignitatem reipublicæ necessarium videatur. Sed, ut unde digressus sum, redeam: totam Leonardus iuuentutem non inertem, non ociosam, sed in laboribus, assiduis in diuersissimas regiones nauigationibus, perdiscendo rerum omnium usu egit: multas prouincias atque urbes adiit: multa diuersorum populorum imperia perspexit: multarum gentium mores, atque instituta percepit. quo factum est: ut non solum mercatura opes, quam diligenter & cum dignitate exercuit: sed & prudentiam quoque, quæ illi a' natura maxima data erat, mirum in modum tamen hæc cognoscendo auxerit. neque uero hæc sola in illo conspiciebatur: sed & reliquis ita virtutibus abundabat: ut mirum nemini videri debeat, cum in Africa negotiaretur, id quod diuulgatum est, Aegyptium illi quendam senem diuinantem, dixisse, & foelicissimum & suæ ciuitatis principem futurum. Equidem non nego potuisse senem illum coelesti quodam afflatu commoueri: & ea, quæ futura essent, huic præsertim, qui diis semper carissimus fuisse existimandus est, diuina monitu nunciasse: sed hoc contendo, sine ulla id etiam diuinatione, ex ipsis huius virtutibus prædici facile potuisse. Non immerito igitur, ut primum domum uenit: atque animum ad regendam rempublicam appulit: omnes honorum gradus adeptus est: neque quicquam in reipublica nostra tam amplum fuit: quo non

quo non ille dignissimus iudicaretur. plures ille magistratus tum in vrbe, tum extra urbem, aliis multis in locis gessit: atque eos ita gessit: ut cum summa omnia sibi homines, ob egregiam quandam, quæ de illo in omnium animis infederat, opinionem, cum magistratum inibat, pollicerentur: magistratu defunctus non modo, quæ sibi illi promiserant, sed multo plura, quam quisquam aut optare, aut sibi ipse fingere ausus esset: præstitisse videretur. Dicenda illi in urbanis magistratibus de rep. sententia sæpe erat. hic uero prudentia illa admirabilis campum, quo excurreret, ac se ostenderet nacta, omnium oculos in se trahebat. cum multa ille præterita meminisset: præsentia omnia exactissime perpenderet: ac rerum inter se nexum, & consequentiam quasi quandam, diligentissime consideraret: nemo futura acrius coniectabatur: nemo coniectura minus fallabatur. ea uero uerborum grauitate, ea dignitate orationis utebatur: ut, cum nullis id ille illecebris, nullo artificio aucuparetur: nemo tamen uehementius in quam uellet partem audientium animos impelleret: in nullius sententiam frequentiora senatus consulta fierent. atque id ille eo' etiam facilius assequebatur: quod egregius illius quidam in rep. amor erat omnibus perspectissimus. nemo erat, qui nesciret, nulla illum priuata re, nullis suis commodis vnquam moueri: non amicitiiis perueriti: non inimicitiiis perturbari: nihil in gratiam cuiusquam loqui: nihil dies noctes' que aliud cogitare, quam quemadmodum reip. prodesse posset: nihil dicere, quod non reip. utile arbitretur. hæc cum de illo homines sentirent: mirum si maxima eius uerbis auctoritas inerat: si semper est senatus princeps habitus. Age uero in iure tum in urbe, tum extra urbem dicundo qualis fuit? equidem difficillimum esse arbitror sine multorum offensione, ita iustitiæ præcepta seruare: ut nihil ab illis recedatur. ac multi quidem ita tristes, ita acerbi in iudicando sunt: ut uel utranque partem etiam: nemo fortasse est: qui non eorum saltem animos, quos contra statuit, offendat. hic, cum nulla gratia, nullis opibus, nulla vi, nullis precibus permoueri vnquam potuerit: quin grauissimus, & seuerissimus iu-

stitiæ custos esset : ita tamen illam iustitiæ asperitatem clemencia & comitate quadam condire est solitus : ut ne ii quidem, quos contra pronuntiabat : cur illi inimici esse possent, inuenirent . magna hæc ingenii vis : virtutes eas , quæ diuersissimæ , atque aduersæ prope inter se esse creduntur , ita coniungere : ut non alteri solum altera non officiat : sed & magno etiam sit ornamento . quid ? in cæteris qualis inuentus est ? abstinentia singulari : summa in rebus omnibus temperantia . ita faciles ad eum aditus patebant : ut neque tempore, neque loco vnquam villo quisquam exclusus sit : quin & eum adire, & quæ uellet, libere loqui posset . Iam populos , qui eius curæ commissi erant , non ille ut dominus , sed ut bonus parens regebat . amabat omnes : æquus erat omnibus : sed bonos tamen & amore & indulgentia quadam præcipua prosequabatur . ex his fiebat : ut hæc foelicissimæ ciuitates esse , quibus ille præerat, putarentur . his ille gradibus , hac uia nixus in amplissimam hanc huius principatus arcem ascendit . cum enim eius iam late nomen increbuisse : virtutes omnibus notæ essent : Augustino Barbadico principe defuncto, in eius locum successus est .

Percursa sunt à me multa breuiter : quæ multo profecto & latius & ornatius erant explicanda . omissa etiam non pauca . neque enim in ulla hic uitæ parte non omni laude, omni admiratione dignus fuit . sed rapuit me ad se citius fortasse quam decuit, ipsius principatus splendor . hic suo lumine quasi tenebras reliquis rebus offudit . de quo cum mihi multa dicenda essent : ac ne longitudine orationis meæ uobis molestus essem, uererer : satius uisum est, eorum, quæ minora certe sunt, quædam relinquere : quam ex maioribus his quicquam prætermittere . quanquam ne de his quidem est, quod sperem à me omnia dici posse . longe enim inferiores ingenii mei uires sunt . sed tamen, si illa omnia persequi uoluisssem : multo pauciora de his uerba facere coactus essem . nunc nulla re interpellabor : quo minus ea, quæ à me dici poterunt, explicentur .

Maior quædam res, ac longe difficilius quam homines opinantur, negotium est : vnum quempiam, aut regnum, aut cuiusmodi imperium

perium aliquod administrare . non enim solum quæ in priuatis hominibus probari solent : ea in hoc , qui cæteris præest , requiruntur : sed & multo hunc rebus omnibus præstantiorem esse conuenit : & , cum in illis uel magna plerunque vitia uirtute aliqua obtegantur : hic , quod eius ita omnibus proposita vita est : ut nec latere nec obtegi quicquam possit : ac uel minima eius culpa maximæ obscurari uirtutes queunt : nihil prorsus vnquam delinquat necesse est . quod cum præstare permagnum est : tum longe id maximum : vnum esse , cuius consilio omnia gubernentur : qui non sui solum , sed & omnium , qui in imperio eius sunt , curam gerat : eorum commodis consulat : incommodis medeatur : saluti prouideat : qui & præsentia recte disponat : & ea etiam , quæ futura sunt , multo ante præuideat . Ac cum hæc difficultates iis omnibus , quibus aliquod sit imperium administrandum , propositæ esse videantur : tum & has , & multo his maiores subeat , necesse est , qui nostræ reip . dux præficatur . atque huius ego rei ostendendæ causa , dum altius quædam repeto : ne me quæso oblitum instituti mei putetis . nihil loquar , quod non ad rem pertineat : nihil , quod non & nostro huic Principi , & uobis omnibus laudi sit . Tanta prudentia maiores nostri , tanta ac tam singulari in rebus omnibus sapientia fuerunt : ut eos potius nunquam satis admirari , quam pro meritis laudare possimus . hos ego quanquam in omnibus tum dictis , tum factis diuinos quosdam viros inuenio : nihil tamen ab his præclarius , quam hanc huius reipu . administrationem , aut excogitatum , aut constitutum arbitror . Tres regendarum ciuitatum rationes sunt : vnus , optimatum populari dominatus . vnus imperium , si quis id recte gerat , cæteris præfertur : secundo loco optimatum , postrema omnium popularis administratio existimatur . quod sæpissime is tamen , qui omnia vnus potest : pro libidine plurima , nihil iure agit : atque eo cæca quadam cupiditate fertur : ut omnia vnus possidere , nihil cuiusquam esse proprium uelit : quod que extremum ciuitatibus exitium esse consuevit , suis ipse ciuibus , quorum salutis præcipue consulere deberet : infensissimus hostis est : &

quod populi dominatio uelut mare quoddam, ita multis sæpe uentis, atque adeo auris omnibus agitatur: ut nihil illa sit comotius: ac tanti plerunque in ea fluctus excitantur: ut in ciuitatem etiam redundent: atque eam sæpe demergant. ob hæc optimatum potentia, quanquam & suis ipsa uitiis non careat: maxime tamen tuta, atque omnium optima existimata est. hæc cum maiores animaduernerent: quod in vnaquaque optimum uisum est, transferentes, ac vitia omnia quantum fieri poterat, amputantes, hanc reip. formam constituerunt. quæ quidem ita ex omnibus mista est: ut, cum optimatum quidem illa gubernatio esse maxime uideatur: cæterarum tamen etiam administrationum quodammodo expers non sit. Comitiam, quibus magistratus creantur, quod maxima in his ciuium multitudo est: atque eo omnes conuenimus: quanquam nullo pacto huc quisquam e populo aspirare possit: atque unius sint nobilitatis omnia: speciem tamen quandam popularis gubernationis præ se ferunt. unius dominatio in eo, qui dux creatur, conspicitur: cætera omnia optimatum administrationi conueniunt, atque unum quidem ex omnibus eligi, qui toti præesset reip. cum ob alia multa, tum ob id maxime constituerunt: quod uidebant id in hac rep. quod in omni & optimatum, & populi imperio fit, fieri necesse esse: ut annui scilicet magistratus, aut aliquo certe non longo tempore definiti, crearentur. in eo uero id esse incommodi: quod, cum ii plerunque, qui ea, quæ in rep. agenda, ac quo omnia dirigenda consilia essent, tenerent: peracto magistratus tempore priuati fierent: noui uero, ac rerum, quæ gererentur ignari, succederent: prætermitti multa, ac magno affici remp. detrimento necesse erat. ob hæc illi unum aliquem reip. præfici utile esse opinati sunt: qui ad reip. gubernacula assiduus sedeat: cæteri munus quisque suum exequatur: ille omnia disponat: & quæ uisa fuerint, imperet: atque eo cursum dirigat, ubi maxime & salutem, & utilitatem reip. esse cognoscat, neque uero, quemadmodum in rege suo Lacedæmoniorum resp. successione hoc fieri, sed ex iis, qui in rep. uersati essent: atque egregii in remp. animi, ac uirtutum

tutum omnium signa multa dedissent, sapientissimum eligi uoluerunt. huic autem, ne imperandi dulcedine transuersus aliquando rapi posset: ita suas dixerunt leges: ut cum in summa rerum omnium potestate sit: non minus tamen, quam nostrum quilibet legibus teneatur. maximo igitur consilio, & alta quadam sit mente præditus necesse est: qui in nostra rep. princeps constitutus, quæ ab eo debentur, præstare, ac recte exequi uoluerit. ac cæteris quidem omnibus, qui ciuitatibus soli imperant: si eas recte administraturi sint: multi & magni suscipiendi labores sunt: sed quod pro sua illi uoluntate, omni præscripto liberi, multa gerere possunt: minus id difficile haberi debet. nostræ reip. Principi simul omnia, quæ illis, onera incumbunt: simul seuerissimis legibus obtemperandum est. quod si quis hoc, quod omnium difficillimum est, recte gesserit: nonne immortales illi laudes, & diuini honores debentur? quis igitur nostrum hunc Principem satis pro meritis vnquam laudauerit? qui talis in diuersissimis his rebus inuentus est: ut recte principatum administrando, iis, qui in imperio sunt, quemadmodum administrari imperia debeant: legibus parendo, priuatis, quemadmodum legibus parendum sit, proposuisse exemplum videatur. quæ ut ab omnibus cognosci possint: quemadmodum per .X X. hic annos reip. administrarit: quem se principem ostenderit, quo cœpimus ordine persequemur. Quæ tempestate Princeps is uester creatus est: quanquam ne id quidem prætermittendum est: maximo illum consensu, atq; eodem die, quo ferri suffragia cœpta sunt, quod raro admodum fieri consuevit, creatum esse: neque paruum hoc testimonium illius virtutum haberi debet: in refertissima sapientissimorum ciuium rep. ne diu quidem dubitatum esse: quisnam præferri omnibus deberet. sed qua tempestate is princeps creatus est: bellum nos cum Baizeto Turcarum rege aliquot iam annos acerrimum gerebamus: & cum iam Benedicti Pisaurii clarissimi ac fortissimi uiri ductu meliore loco res esse nostræ cœpissent: ac plerisque hostium oppidis eius consilio, ac militum uirtute captis, repressus aliquantum illorum furor videretur: & iam

IIIX
satis ostensum, non eos nos esse, qui illatas ulcisci iniurias nequiremus: non multo post de pace agi coeptum est. qua tandem, diu re ultro citroque agitata, maxima cum dignitate uestra constituta, per plures uobis annos omnia secunda euenere. uos pacatissimo in ocio, amplissimo in imperio maxima cum dignitate agitabatis. Princeps ipse interea, cum nullae essent in rep. tempestates: quae magnum admodum gubernatoris laborem poscerent: non minoris tamen esse artis rep. in pace administrare, ostendebat. Hic, ne idem mihi saepius dicendum sit: egregiae illae animi dotes, de quibus ante dixi, quae iam tot annos, quibus ille in repu. uersatus fuerat: omnibus perspectae erant: eadem tanto etiam tum in eo maiores videbantur: quanto iis, qui ad aliquam regendae reip. partem admittuntur, praestare totius reip. Principem oportet. per haec tempora, cum alia ille multa praclare gessit: tum id maxime: quod, cum eiusmodi esse omnes respu. & inter caeteras nostram hanc praecipue arbitraretur: ut nihil illis magis cauendum, quam bellum esset, nihil magis quam pacem expetendam duceret: hac foueri eas atque ali: neque subita aliqua ui, sed ipso tempore, atque occasione, quae plurimae in dies accidunt, augeri oportere: & cum uos hoc illi assentiremini: ita id praestitit: ut cum multa illis temporibus tum ab Italis, tum ab externis regibus, tota Italia bella gesta, multa uariis in locis praelia plurimo sanguine commissa, atque omnibus odiis certatum sit: nemo tamen Venetis hostis fuerit: sed cum aequae ab omnibus colerentur: ut arbitri illi quidam potius ad componendas inter eos res adhiberentur. atque hac quidem ille ita pace fruebatur: ut, cum eam omni ratione perpetuo conseruandam putaret: animaduerneret tamen, ea nonnunquam tempora incidere, quibus uel necessario bellum gerendum sit. itaque ut periti gubernatores solent, qui, quanquam omnia obseruaturi signa sint: omnem in eo curam collocaturi: ut tranquillo mari nauigent: neque saeuientibus se uentis committant: quod momento tamen plerunque tempestas incidit: iam tum, cum in portu sunt, omnia praeparant: quae tolerandae tempestati necessaria esse videantur. sic ille

iam tum

iam tum in pace, quæ bello, si quod incideret, opportuna essent, considerabat. qua in re, cum nihil eorum, quæ agenda essent, prætermitteret: tum præcipue ærario ac publicis opibus prospiciendum censuit. cum uero ob ingentes, multis quæ gesseratis bellis factas impensas, maximo alieno ære urgeri rempublicam, ac tantum deberi ciuibus videret: ut uel eo, quod illis, dum plene aliquando satisfieret, quotannis pendebatur: prope omnia uectigalia, ac reip. redditus absorberi necesse esset: omni cura inuigilandum, ut id ratione aliqua dissolui posset, existimauit. eo dissoluto, tam late patere imperium uestrum: tam optimas, tam fertiles regiones sub ditione uestra esse cernebat: ut facillimum factu esset, maximas uobis diuitias exaggerari: ac tantum non multo tempore in ærarium auri congeri: quantum nullis vnquam bellis, nullis sumptibus exhauriri posset. hanc uos eius sententiam cum secuti essetis: ita toto ille animo in eam rem incubuit: eam, ut id fieri posset, rationem inuenit: ut breui tempore tanta res, & qua nulla vnquam reipublicæ utilior excogitata est, confici posse, ac prope iam confecta esse uideretur. sed repens id quod præter omnium expectationem bellum subito exortum est: ut alia nobis multa detrimenta intulit: ita huic etiam rei fuit impedimento. Secuta sunt tempora, quæ si ex ipsa rerum natura euelli ullo pacto possent: non ego præclarissimi huius viri, ac uestrum omnium laudem, quam maximam proximo hoc bello adepti estis, tanti faciendam ducerem: ut non id mihi uotis omnibus exoptandum existimarem. simul enim & molestiæ, ac calamitates omnes, quibus, his temporibus resp. affecta est, extraherentur. sed quoniam fieri id non potest: non mihi ego, si eorum uobis memoriam renouaro: uulnus, quod iam obductum est, refricaturus, sed gloriam potius uestram prolaturus, atque hominum sermonibus propositurus videor. Ac quo ego magis cogito: & res eas, quæ euenire, mecum ipse considero: eo magis fato nescio quo, cui nullis hominum consiliis, nulla ui resisti posset: arma in nos illa concitata, ac tantam subito belli molem extitisse comperio. quid enim maiores uestri, quid uos vnquam

IIIIX
aliud egistis? quis uestrarum cogitationum omnium alius vnquam terminus fuit? quid sibi aliud uestra vnquam uota postularunt? nisi ut in pace, atque ocio esse, ac uestra tranquille perfrui rep. possent. cum multas uos ciuitates, multa regna, ob nimiam imperandi cupiditatem concidisse, eamque ipsam non longissime prolatis finibus, sed moderatione animi terminari posse cognosceretis: satis magnas uobis opes, satis amplum esse imperium putabatis. id uero cum sola pace diuturnum, ac perpetuum fieri posse uideretis: omnia uestra studia, omnes cogitationes pacis erant. hac iam ab initio altam, ac auctam uestram rep. noratis: hac illam in posterum omnem temporum æternitatem superaturam sperabatis. atque ideo nemini uos vnquam ultro iniurii fuistis: neminem bello laceffendum, sed uobis tantum, ac sociis uestris illatas iniurias propulsandas censuistis. at uero officio cum omnibus semper certauistis: inita fœdera sanctissime obseruauistis: fidem constantissime coluistis. quibus rebus, cum fieri id deberet: ut omnium maxime ab omni iniuria tuti essetis: neque quisquam non beneuolus uobis esset: repentino tamen quodam impetu propè omnes totius Europæ nationes ad uos tanquam omnium communes hostes extinguendos, confluxerunt. multa ego hic mihi iustissimas ob causas silenda arbitror: vnum hoc tamen dicam. si ulla vnquam ratione fidem aliqua in re non obstinatissime seruandam esse persuaderi uobis potuisset: facillime hanc a uobis euitari procellam potuisse. sed uos ne totius quidem orbis imperium tanti faciendum, neque ullam tam extimescendam vim, ullum tam formidabile periculum esse iudicauistis: ut a fide dimoueri, atque ab officio discedere deberetis. hoc uos animo cum per uos etiam essetis: quippe qui in obseruantissima officiorum omnium rep. nati, atque educati estis: multum tamen ad id constantissimus uos Princeps uester & oratione animauit: & auctoritate confirmauit. maximam igitur simul ille, simul uos omnes gloriam consecuti estis. sed magnas, neque eas tamen culpæ ullius, sed innocentia, & laudis pœnas dedistis. Cum multi huius reip. splendorem, assueti ipsi tenebris, ferre non possent: atque

sent : atque extinctum cuperent : alii , qui Italiae ipsi oppressores , ac praedones essent , æquabile hoc imperium , hanc per tot annos conseruatam libertatem , & odio prosequerentur : & timerent , ne uestro aliquando exemplo , ac totius Italiae iandiu extincta libertas reuiuisceret : nonnulli florentissimi , atque opulentissimi imperii diripiendi cupiditate tenerentur : factum est : ut & in uos omnes inter se illi coniurarent : & coniunctissimi uobis reges , ac uestræ semper reip. amantissimi , ita fictis improborum delationibus à uobis distraherentur : ut arma etiam sibi in hanc remp. sumenda esse iudicarent. Hic uero cum uos subita , atque inexpectata re oppressi , uestras his copias , quæcunq. uentum repente contrahi potuerunt : opponere cogere mini : accepta illa calamitas est : de qua me quæso Patres opt. silere patiamini . eiusmodi enim fuit : ut sine acerbissimo animi sensu , neque à me dici , neque audiri à uobis possit . hac clade nunciata , quod tantum animi robur , tanta uis , tanta firmitas esse potuit ? quam non tanto incommodo labefactari , ac concidere necesse fuerit ? & certe (ut uerum fateamur) trepidatum aliquantum à multis est : multorum animi perturbati sunt : ciuitas diu paci , ac prosperis semper assueta , tanta , & tam repentina rerum omnium mutatione , non commoueri non potuit . sed admirabilis quædam uestri Principis fortitudo , & suis ipsa uiribus inconcussa permansit : & eam uocem emisit : ea grauitate uestri uos decoris ac dignitatis admonuit : ut erectis omnium animis , nemo unquam in tollerandis aduersis firmior , quam uos uniuersi fuistis , inuentus sit . sed non hæc solum eo tempore in uobis uirtus enituit . permultæ se aliæ , quæ ante latuerant ; ut quæque difficillima illa tempora exigebant , ostenderunt . cum tantam in uos procellam illam , nullo uestro merito subito extitisse uideretis : neque facto semel periculo , sustinere eius uim potuissetis : uel alicui deorum immortalium in uos iræ , uel maioribus quibusdam uiribus cædendum esse statuistis : neque quicquam ; quod ad leniendos hostium animos accommodatum esse uideretur : prætermisistis . quanta hæc animi moderatio haberi debet ? sed cum sæuiores in dies illi , ac ferociores fierent :

iiidem uos, cum iam moderatione uestra, & deos, si qui irati uo/
bis erant, pacatos, & causam uestram omnibus iam probatam
iudicaretis: bellum uobis acerrime, atque omni animorum con/
tentione, gerendum esse decreuistis. & id uero ita gessistis: ut
cum nihil iam uobis hostes, quod aut agere, aut sperare posse/
tis, reliquum esse existimarent: tum uos recuperata ui Patauio,
his & illam & Taurisium præsiidiis firmaueritis: ut his quasi fre/
nis quibusdam hostium furori iniectis, cum toto hoc bello in
has illi urbes propè quotannis irruerent: omnis semper eorum
audacia compressa, omnes impetus alio' detorti, atque infracti
sint. Sed nihil profecto eorum, quæ a' uobis gesta sunt, mihi
æque memorandum videtur: ac prima illa recepta recens Pata/
uio tolerata in ea urbe oppugnatio. centum hostium millia fe/
rocissimis, ac pugnacissimis e' nationibus, maximo cum tumul/
tu, derepente, tanquam procella quædam ad eam occupandam
urbem irruerunt. uobis quidem, & egregii Imperatores uestri,
& selecti, qui aderant, milites satis ad eos reprimendos esse ui/
debantur. sed trecentis tamen ego patriciis illis uiris, quos, tu/
multu illo trepide nunciato, eo' mittendos censuistis: opportu/
nissimam uobis urbem potissimum conseruatam puto. atque
in iis quidem omnibus, quæ a' me dicuntur: cum maxima uo/
bis omnibus, tum uero præcipua quædam uestro Principi laus
debetur. ille enim rebus omnibus præerat: ille omnium uobis
consiliorum auctor erat. sed nulla tamen ille in re, quam' hac,
quæ a' me postremo dicta est, maiori laude dignus existiman/
dus est. recordamini patres optimi, cum uos de patriciis illis
Patauium mittendis hortaretur: quæ uerba locutus sit. Qua/
tuor sibi esse filios dixit: omnes & moribus (nisi patrius se amor
fallat) & uirtutibus ornatissimos: sibi certe iucundissimos: eo/
rum tum in omne se discrimen duos patriæ offerre: nec recusa/
re & reliquos, & se etiam (si id res poscat) pro salute reip. de/
uouere. quæ cum maxima omnium acclamatione excepta es/
sent: egregia illa nobilium iuuenum manus hoc exemplo com/
mota ad auxilium patriæ ferendum, Patauium profecta est. hic
uero, cum & ipsi illi Principis filii, & reliqui patricii iuuenes
ubique

ubiq; adessent: nulli non se periculo obiicerent: omnes ultro la-
 bores subirent: tanta militum uestrorum animis alacritas, tan-
 tus hostium contemptus innatus est: ut innumeras illas copias,
 illam vndique circumfusam multitudinem, non solum ad eam,
 quam ipsi tuerentur, expugnandam urbem, sed ne ad congre-
 diendum quidem secum acie, parem iudicarent. itaque cum
 plures ibi dies hostes consumpsissent: suos que omnes conatus
 frustra esse cernerent: ab incepto desistere, & abire turpiter co-
 acti sunt. magna hoc facinore apud omnes gentes huic reipu-
 parta est gloria: magna Veneto nomini auctoritas accessit: ma-
 gnæ uero a nobis omnibus nostro Principi, qui huius facino-
 ris auctor fuit, gratiæ haberi debent. neque uero hac vna in re
 præclari huius viri auctoritate compulsi multum reip. profui-
 stis. sed, cum plurimis graui hoc bello sumptibus iam exhau-
 stum ærarium esset: & impendi tamen in exercitus nostros mul-
 ta necesse esset: credo equidem & egregio uos in patriam amo-
 re adductos, priuatas in remp. opes contulisse: non parum ad
 id uos tamen assiduæ etiam nostri Principis cohortationes exci-
 tarunt. quoties ille in senatu, quoties in comitiis ultra etiam
 ætatis vires magna contentione grauißima, hac de re, uerba ha-
 buit. factum est igitur: ut cum penitus iam accisas Veneto-
 rum res, neque ullum iam ab his diutius exercitum sustenta-
 ri posse, omnes crederent: tum uero tanta ac tam immensa su-
 bito opum vis extiterit: ut mare potius huic ciuitati, quo in-
 terluitur: quam' ullas vnquam reip. diuitias deesse posse, facilli-
 me omnibus persuasum sit. Sed ne id quidem a me sileri de-
 cet: quod, nescio an iis omnibus, quæ a me hætenus dicta
 sunt, anteferendum sit. quod, cum multos diuturni iam belli
 ræderet: multorum animi, aduersis iis, quæ, ut in tam longo
 bello fieri necesse est, pleraque acciderant, infracti essent: hic ea
 semper in sententia perseuerauit: quam uos secuti, & maximam
 admirabilis cuiusdam constantiæ laudem adepti estis: & in pri-
 stinam tandem imperii amplitudinem remp. restituis-
 tis. multæ quotidie pacis conditiones uobis proponebantur: ac cum de
 his sæpius ageretur: atque in eas nonnulli imbecillitate quadam

XX
animi nimium pacis cupidi, non magna reip. dignitatis ratione
habita, descensuri viderentur: cum præter senectutem, quæ gra-
uissimus per se ipsa morbus est: aduersa etiam ualitudine labor-
raret: ad hanc tamen ille dissuadendam nec satis fidam, nec de-
coram pacem præsto' semper fuit: semper ea, quæ reip. dignitas
posceret, locutus est. admirantur romanarum rerum scripto-
res Appium illum cæcum, cum illi ad cæcitatem grauis etiam
senectus accederet: cum de Pyrrhi pace senatus consuleretur:
ad eam se tamen impediendam deferri iussisse. nos de hoc file-
bimus? qui in summa itidem senectute, impeditiore etiam mor-
bo quam' haberi cæcitas debeat, pene' confectus, non semel, ut
Appius, sed & hanc ad rem sæpius affuit: & aliis omnibus,
quæ de rep. agerentur, rebus, toto hoc decennio semper inter-
fuit. profecto nihil est patriæ charitate præstantius. ea vna o-
mnem illius morbi vim repellebat: omnes senectutis molestias
abstergebat. Hic uero, cum ille magnam quandam animi vim
ostenderet: nihil cuiquam prius, nihil potius reipu. dignitate
esse debere diceret: pericula & labores omnes, mortem ipsam
denique bono cuiilibet potius subeundam: quam' ullam vn-
quam pati reip. turpitudinis maculam inspergi: turpi pace su-
scepta, nulla vnquam re deleri hanc labem posse: fortunam
reip. mutari posse, rerum omnium continuas mutationes esse:
sperandum ex iis, quæ pertuleramus aduersis esse, iam iam ad-
esse, ut nostræ res in melius uerterentur: nunquam reip. ad to-
lerandum bellum defuturas opes: deos etiam immortales, ciui-
tati, quæ tam pie eos semper coluisset, non defuturos: cauere
modo, ne ignominia' notam aliquam reip. inurentes, deorum
ab se animos, qui illam tutarentur, auerterent. Hæc cum ille
commemoraret: uos ei patres optimi semper assensi bellum po-
tius cum dignitate reipu. uobis gerendum, quam' turpi pace
quiescendum statuistis. neque uero est, quod huius uos sen-
tentia' poenitere possit. nam non longo interiecto tempore opu-
lentissimus ac potentissimus Gallorum rex, qui semper antea
coniunctissimus huic reip. fuerat: ac multas uobiscum necessi-
tudinibus causas habebat: cum falsis se maleuolorum sermonibus
ab amicitia

ab amicitia uestra, quam fidissimam sibi semper expertus esset: auulsum videret: occultis in se illorum odiis ac fraudibus cognitis, id uobiscum foedus iniit: ut quod intercesserat dissidium, reintegratio amoris quaedam (quod nonnunquam fieri consueuit) fuisse videretur. is ita exercitu paratissimo, ita omni uobis auxilio praesto fuit: ut tantis viribus additis, quae violenta uobis illa proximi belli tempestas abstulerat: ea prope omnia intra paucos dies in potestatem uestram redacta sint. Tum uero, cum satisfactum iam dignitati uestrae iudicaretis: atque aequa iam tandem uobis pax afferretur: nullis uos sumptibus, nulli rei parcendum esse, dum ea fieret, censuistis. quam cum item ad rem conficiendam omnem operam amicissimus uobis rex, omne studium contulisset: factum est, ut sub induciarum nomine, pax sit uobis firmissima constituta. Sed quoniam commemorandis iis, quae cum omnium uestrum laude coniuncta esse, & ad remp. pertinere uisa sunt, longior fortasse fui, quam ut plura iam a me hoc tempore dici possint: multa, quae mihi ipse dicenda proposueram, praetermitti necesse est. sed & satis ex iis tamen, quae dicta sunt: qualis hic fuerit, quam diuinus quidam uir haberi debeat, cognosci potest. quam enim e praclarissimarum illi virtutum coetu, quae aut solae, aut certe maxime in homine laudandae sunt: defuisse dicemus? profecto si quis eum iam inde ab adolescentia penitus inspicere, tum quae ab illo, & in prouincialibus, & in urbanis magistratibus gesta sint, quemadmodum denique principatum adeptus, tum tranquillis, tum omnium, quae nobis vnquam inciderunt, difficillimis temporibus, remp. administrarit, considerare uoluerit: nihil in hoc, eorum, quae in magnis ac praclaris uiris admirari consueuimus, desideratum esse cognoscet. sed ne eorum quidem, quae aut a natura, aut a fortuna hominibus dari solent, quicquam illi admodum defuit. quae quanquam nulla ratione cum animi bonis, de quibus iam abunde diximus, conferenda sunt: eiusmodi tamen sunt: ut nec solam ad beate uiuendum uirtutem sufficere, nec sine his foelicitatem illam, quam omnes appetunt: consequi quenquam posse, praclarissimi etiam, ac sapientissimi

IXX
homines existimarint. Ego quidem quanquam nihil a diis im-
mortalibus humano generi virtute maius aut præstantius da-
tum arbitror: non parum tamen ex his etiam eorum in nos be-
neuolentiam declarari puto, quod si ita existimandum est: quis
vnquam diis immortalibus carior Leonardo fuit? quis eorum
muneribus ornatior? præclarissima in ciuitate, maxime nobili,
atque illustri ortus genere, & egregia quadam forma fuit: &
honeste partis diuitiis abundauit: & ita prosperos rerum o-
mnium successus habuit: ita semper illius virtutes fortuna co-
mitata est: ut nihil vnquam optarit: quod non sit cumulatis-
sime consecutus. omnes in optime constituta rep. honorum gra-
dus adeptus, atque illius demum Princeps creatus, in eius ad-
ministracione ad extremam usque senectutem vixit. accessit ad
hæc, quod & rarum admodum, & difficillimum haberi solet:
ut & plures liberos, & egregiæ omnes probitatis procrearet. e-
quibus, cum primariis ciuitatis viris in matrimonium filias col-
locasset: & Hieronymo item e filiis uxorem despondisset: quod
magnæ cuiusdam foelicitatis esse creditur: & nepotes, & neptes,
& ex his & pronepotes, & proneptes vidit. sed, ut hoc foelicis-
sime illi contigit: ita id non licuit: ut omnes sibi superstites fi-
lios relinqueret. nam ultima iam in senectute constitutus, cum
ad id usque tempus incolumes omnes fuissent: importuna mor-
bi vi, altero ab hinc anno Bernardum amisit: quo ingenio? qua
comitate? quantæ spei iuuenem? non leuius ego huius morte
illatum patriæ, quam patri uulnus puto. quis hic uir? qualis
senator? quantus in rep. administranda fuisset? sed iniqua il-
lum fortuna nobis inuidit. At quanto id tibi optime ac mi-
serime omnium iuuenis foelicius cecidisset: si, cum ad tuendam
Patauium cum Aloyfio fratre, & inuicto illo nostræ iuuentu-
tis flore profectus, gloriosa pro patria arma ferres: ac nulla ti-
bi in re parceres: omni te discrimini opponeres: tum hostium
tibi telis occumbere, ac speciosissimam pro patria mortem obi-
re, licuisset. Acerbissima hac præstantissimi iuuenis morte,
cum nemo tota in ciuitate esset: qui non ingemisceret: qua eam
constantia pater tulit? eadem, qua tot ante patriæ calamitates
tulerat.

tulerat. non magis hac fortunæ iniuria deiectus, quam secundis vnquam ullis rebus, quæ plurimæ illi acciderant, sublatus est. ut mihi dii immortales extremum hoc illius, quem paulo post in suas sedes, ubi ueram vitam uiueret: ac perpetuo secum æuo frueretur: uocaturi erant: virtutis periculum fecisse videantur. atque hoc quidem illi e' filiis incommodum illatum est. quantas uero, & quam magnas ex his eum uoluptates percepisse arbitramini? quantas fortasse nemini unquam contigisse credendum sit. quasi rarum, ac solum prope' quoddam foelicitatis exemplum, Metellus celebratur: quod, cum quatuor illi essent filii: eorum unum praetorem, tres consules, atque ex his vnum censorem, duos triumpho insignes vidit. Magnum profecto' Metelli patris gaudium fuisse arbitrandum est: cum ea filios, quæ amplissima in ciuitate essent: consecutos intueretur. neque tamen tam ego illum lætatum puto, quod hos ad eos delatos honores videbat: qui, quanquam maximi, quod in populi tamen manu sunt: mandari plerunque etiam indignis solerent: quam' quod eiusmodi esse illos cognoscebat: ut digni essent, quibus summa omnia tribuerentur. Hoc uerum demum gaudium est: eas in filiis virtutes aspicere: ut nullus non illis honos debeat. quæ si ita sunt: ne hac quidem in re, ut alia omnia prætermittantur: minor nostro Principi quam' Metello foelicitas contigit. cum enim quatuor itidem huic essent filii: cui tot vnquam uirtutibus æque omnes ornatos intueri concessum est? sed & iis etiam, quæ merebantur, dignitatis præmiis honestatos, & nullis non honoribus auctos uidisset: si nostri Principis filiis uiuo patre magistratus petere per leges liceret. & sibi tamen id ille polliceri potuit: fore, ut, cum ipse excessisset, nullum esset in hac rep. uirtutis præmium, quod illis, cum id a' uobis peterent, negari posset. & uiuens etiam Laurentium filium, ne hoc sibi vnum defuisse queri posset: cum ea tempora incidissent: ut is legibus solueretur: in proximum post se dignitatis gradum sublatus uidit. Cum uero optatissimum esse parentibus soleat, quamsimillimos sibi nasci filios: cui hoc vnquam benignius, quam' nostro Principi

LXX
concessum est: atque ego non de hac tantum corporis, sed multo de illa magis, quæ in animo conspicitur, similitudine loquor. qua in re ita, & inter se & patri similes huic filii contigerunt: ut facillimum fuerit in omni uirtutum ac morum optimorum genere, & in patre filios, & in filiis patrem, & in fratribus etiam fratres agnoscere. quæ, quamuis ita sint, nescio quo pacto tamen magis omni in re in Laurentio conspici imago patris potest. quem quidem ego cum intueor Patres optimi, non uideo cur Leonardum nobis ipsum ereptum queri possimus. en eadem oris lineamenta aspicere, eandem uerborum grauitatem audire, iisdem omnibus uirtutibus frui licet. hanc ille egregiam & animi & corporis sui effigiem nobis reliquit, multo certe iis omnibus anteferendam, quas plurimas Romani sibi quondam Imperatores ad propagandam sui memoriam, ubique gentium collocarunt. ob hanc ego quidem etiam causam, minus illi molestam fuisse mortem puto: quod cum ipse patriæ eriperetur, & in cæteris tamen filiis simillimam sui imaginem, & in Laurentio ipsum quasi se sibi superstitem relinqui reip. conspiciebat. Sed cum tam multa deorum immortalium benignitate nostro Principi contigerint: ut nihil prope optari a quoquam possit: quod non ad hunc abunde delatum sit: una fortasse ualetudo non benignissime ei concessa esse uideri queat. nam neque in iuuentute magnis quibusdam corporis uiribus, & infirma, atque affecta morbis senectute fuit. sed qua illi in parte naturæ munus defuit: in hac sibi ipse (quod multo est præclarior) animi uirtute præsto fuit. nam eam temperantiam adhibuit: ita omnes semper, quæ corpori officerent, uoluptates neglexit: ut in hac imbecillitate tamen ad nonagesimum prope usque annum, quod ne robustissimis quidem sæpe accidit: uitam produxerit. maior profecto ex hac illi uirtute laus debetur: quam si illi, uel ipsum illud Milonis Crotoniatæ robur a natura contigisset. atque in hac quidem re Patres optimi magnum quidam est: quod nostro a nobis omnibus Principi debeatur. ab eo enim tempore, quo proximo hoc maxime sæuiente bello, grauissimo pene morbo oppressus est: quicquid ad pristinam
illam

illam prorogandæ uitæ diligentiam addidit : quæcunque , ut uiueret , passus est : quæcunque fecit : ea omnia singulari illius quodam in remp. amore facta esse , existimandum est . neque ulla in re magis quam cara illi esset patria , cognosci potuit . quid enim ? desiderio hæc illum uiuendi fecisse arbitramini ? quid erat ? cur tantopere in uita diutius esse uellet ? tot iam annos uixerat : ut , quod in omni re fieri consueuit , satietatem iam tum illum uitæ quandam cepisse credendum sit . eum ex recentibus patriæ incommodis dolorem acceperat : ut ægerrime illius se superesse calamitati passus sit . cum omnes etiam tum filios incolumes haberet : atque omnia prope adhuc illi secunda in priuatis rebus fuissent : magis erat ut uereretur , ne uiuendo quicquam , quod nollet , aspiceret : quam ut lætius quippiam sperandum esset . ad hæc , quæ illi iam eius uitæ cupiditas esse poterat : quæ eo iam uenerat : ut nihil aliud quam grauiores quotidie morbos , & assiduos ex his dolores , ac cruciatus expectare posset . quo hæc ergo tam diligens tuendæ uitæ cura ? quo hæc uiuendi cupiditas ? cum uideret , si media ipse in tempestate ereptus , tantis in fluctibus remp. reliquisset : fore , ut uel eo uno , quod diu in substituendo gubernatore occupata futura erat : multa illi inferri detrimenta possent : omnia sibi perpetienda esse censuit : ut , dum eam in tranquillo sisteret : cum sibi iam satis uixisset : patriæ certe , cui non minus uiuendum esse cognosceret : uitam proferret . Non minores huic igitur gratiæ a nobis habendæ sunt : quod patriæ utilitate permotus , in uita esse sustinuerit : quam ab aliis quondam ciuitatibus iis sunt habitæ : qui uitam pro patria reddiderunt . eorum enim nonnulli ne morte quidem illa quicquam profuerunt . hic tantum uita profuit : ut eius potissimum consilio , quod nulla illi unquam ætas debilitauit : sed semper auctius factum est : & plurima proximo hoc bello præclare a uobis gesta , & in tuto demum remp. collocatam putem . Quod si aliqua in morte etiam foelicitas esse existimanda est : quæ certe est : quis in hac illo foelicior unquam fuit ? cui quidem eo ipso , quo optauerat , tempore , erepta iam è belli fluctibus rep. & ea firmissima in pace constituta , mori

IIIXX
contigit. quin id etiam credendum est, nullo illum cum dolore decessisse. neque enim eundem in omni morte doloris sensum esse existimandum est. nam cum omnia, quæ natura fiunt, cum uoluptate fiant: ac, quoniam nati mortales sumus, certus quidam terminus, quo moriendum nobis sit, natura sit constitutus: mortem illam, quæ natura contingit, ut non contendam, cum uoluptate esse: sine dolore certe est. sit illa acerba pueris: sit iis, qui in iuuentute sunt: quos e' uita, tanquam immatura ex arboribus poma, ui quadam auelli necesse est. senes certe, quibus iam sua maturitas aduenit: quod sensim his sine sensu uita surripitur: paulatim deficiunt: ac sine ullo dolore, sua quasi sponte extinguuntur. quæ cum ita sint: nunc demum est: cum peracto iam totius uitæ cursu, & beatum hunc, & foelicissimum fuisse, affirmare possimus. Quamobrem, ut ad id iam ueniam, quod mihi postremum faciendum est: & ad leniendum hunc, quem in uobis omnibus intueor, mœrorem aliquid a' me dicatur: non uideo Pat. optimi, cur illius mortem, qui omnes uitæ actus foelicissime peregerit, tam moleste uobis ferendam putetis. non infinitum nobis quoddam uiuendi curriculum propositum est: sed suis & carceribus, & metis terminatum. ac fortasse medio quempiam e' cursu abripi dolendum sit: quod quis omni fortissime decurso spatio, & ad metas peruenerit: & promissa uirtuti præmia consecutus sit: si illi amici haberi uolumus: lætari certe debemus. at ei, qui recte, ac cum uirtute uixerit, pro imbecilli hac mortalitate, immortalem, ac foelicissimam a' superis post mortem uitam dari, cum omnes semper omni tempore homines crediderunt: tum nos præcipue, quibus a' Deo Optimo Maximo uerum ad cœlum iter ostensum est: sine ulla dubitatione affirmare debemus. quod si hoc illi contingere potuisset: ut nunc morti ereptus, reliquo omni tempore nunquam moreretur: non tamen uos hoc illi optare debuissetis. quid enim? misera illa inter tot hominum calamitates immortalitas, cum foelici hac inter deos, & bonis omnibus refertissima, quam adeptus est, immortalitate conferri posset? tantum abest, ut id existimem: ut si illa etiam nobis non sit proposita: magis
tamen

tamen optandum arbitrer, ex assidua hac humanæ uitæ iactatione aliquando eripi: quam' uel perpetuo in ea uersari. quare omni iam dolore abiecto, illum potius imitari, & quæ ille consecutus est, a' diis uobis immortalibus optare debetis. Sed hæc in uniuersum omnibus dicta sint. Vobis uero præclarissimi optimi Principis filii, quæ a' me consolatio adhiberi potest: priuari patre nemini non graue est: tali patre priuari, talibus, ac tam piis, quales uos estis, filiis grauissimum. neque fieri ullo pacto potest, neque id natura concedit, ut non maximo dolore afficiamini. sed profecto, si ipsa hæc eadem, & quo patre nati, & quales uos sitis, considerare uolueritis: omnem a' uobis doloris impetum fortissime reiicietis. quam' forti pater animo Bernardi filii mortem tulit: qua constantia tot longe illi filii morte grauiores patriæ calamitates: at paternam hanc uirtutem uos præcipue præstare conuenit. & hi uero uos estis: hæc iam in uobis uisæ uirtutes sunt: ut animi fortitudinem, quæ maxime uiros decet: uobis deesse turpissimum futurum sit. quam ne in uobis desiderare uidear: omittenda mihi hæc omnis orationis pars uidetur. & uos potius ad tam egregium imitandum patrem cohortandi. sed & eam etiam orationem uestra mihi uirtus eripuit. quid enim uos incitem: qui ita in cursu estis: ut non illius modo uestigiis insistatis: sed & omnibus iam eum uirtutibus æquaueritis: & si ulla id fieri ratione potest, etiam superaturi esse uideamini. Quamobrem uos quidem quo' coepistis, pergite: & quæ in uobis sunt, præstare: cætera, quæ patri concessa sunt, pro uirtutibus uobis uestris a' diis immortalibus euenient.

M.

D.

XXI.

XXV.

I V N I I.

A N D R E A ^{XXV} E

N A V G E R I I

P A T R I C I I

V E N E T I

L V S V S.

Aspice magna Ceres tibi quos semente peracta
Ducimus agrestes, rustica turba, choros.
Tu face, ne nimio semen putrescat ab imbre:
Neu sulcos rapido frigore rumpat hyems.
Neu sterilis surgat sylua infelicis auenæ:
Et quæcunque bonis frugibus herba nocet:
Neu terræ prostrata animosi flatibus euri
Decidat: aut densa grandine læsa seges:
Neu direpta auidæ rapiant frumenta uolucres:
Monstra'ue, quæ terræ plurima sæpe ferunt.
Sed quæ credidimus bene cultis semina campis:
Vberius largo fœnore reddat ager.
Sic erit. interea niuei carchesia lactis
Fundite, & annoso mella liquata mero.
Ter'que satas circum', felix eat hostia, fruges:
Cæsa'que mox sanctos corruat ante focos.
Nunc satis hæc. post messem alii reddentur honores:
Et sacras cingent spicea sarta comas.

Auræ, quæ leuibus percurritis aëra pennis,
Et strepitis blando per nemora alta sono:
Serta dat hæc uobis: uobis hæc rusticus Idmon
Spargit odorato plena canistra croco.
Vos lenite æstum, & paleas seiungite inanes:
Dum medio fruges uentilat ille die.

Ille tuus Pan' montiuage uenator Iolas
Suetus in audaces cominus ire feras:
A quo & adhuc rictus'que suum, exuuias'que leonum
Sacra tibi agrestis munera pinus habet:
Nunc iam annis grauis hæc deuicti cornua cerui
Dedicat, imbelli congrua dona seni.
Cum tamen herculeæ facta inter fortia clauæ
Is quoque sit laudem uisus habere labor.
Tu Diue hæc inter uiridis decora illa iuuentæ
Suscipe: ne'ue illis esse minora puta.

Hanc uitem, multa quæ semper fertilis uua
Haud unquam domini fallere uota solet:
Nunc etiam large florentem, consecrat ipse
Vineti cultor Damis Iacche tibi.
Tu face Diue tua hæc spem non frustretur: & huius
Exemplo fructum uinea tota ferat.

Longius a' pecore errantem per deuia taurum
Dum sequitur nemorum per iuga longa Lycon:
Errantem scopulo capream conspexit ab alto:
Continuo certo deiicit hanc iaculo.
Mox etiam catulos sola sub rupe iacentes
Inuenit: hos Crocali donat habere suæ.
E' caprea in uiridi statuit conuiuia luco:
Addidit & ueteris pocula multa meri.
Quod reliquum est, Pan semicaper cum cornibus ipsis
Suspensum e' pinu hac tu tibi tergus habe.

Quod tulit optata tandem de Leucade Thyrsis
Fructum aliquem: has uiolas dat tibi sancta Venus.
Post sepe hanc sensim obrepens, tria basia sumpsi:
Nil ultra potui: nam prope' mater erat.
Nunc uiolas, sed plena feram si uota: dicabo
Inscriptam hoc myrtum carmine Diua tibi.

Hanc

Hanc Veneri myrtum Thyrsis, quod amore potitus
Dedicat, atque una' se'que suos'que greges.

Et quercum, & sylvam hanc ante omnia Thyrsis amabit:
Et certo feret his annua uota die:
Dum poterit memor esse, quod hac primum ille sub umbra
Ultima de cara Leucade uota tulit.

Venator celerem moerens Augona Melampus
Confossum rapido dente ferocis apri:
Hac illi in ripa tumulum, frondente sub umbra,
Erigit: hoc ipso concidit ille loco.
Non impune quidem prædo sceleratus abiuit:
Procubuit iaculis cæsus & ore canum.
Tu tamen è cunctis canibus præstantior Augon,
Fide Augon, syluis qui modo terror eras:
Tu dilecte iaces. sed ab alta hac fascia pinu
Millus'que, & millo uincula iuncta suo:
Quin decisa feri ceruix tibi pendeat hostis:
Sint'que una' ex animo signa dolentis heri.

Et gelidus fons est: & nulla salubrior unda:
Et molli circum' gramine terra uiret:
Et ramis arcent soles frondentibus alni:
Et leuis in nullo gratior aura loco est:
Et medio Titan nunc ardentissimus axe est:
Exustus'que graui sydere feruet ager.
Siste uiator iter: nimio iam torridus æstu es:
Iam nequeunt lassī longius ire pedes.
Accubitu langorem, æstum aura, umbra'que uirenti,
Perspicuo poteris fonte leuare sitim.

Ante canes omneis pastori carus Amyntæ
Nuper ab illyrico littore missus Hylax,
Dum solitas agit excubias, & septa tuetur:

IVXX
Nec uigilant focii cætera turba canes:
Qua rapidus se se media inter saxa Timaeus
Mergit: & inde iterum profilit amne nouo:
Ille quidem sæua uitulos tutatus ab urfa est:
Ipse sed ingenti uulnere cæsus, obit.
Constituit uiridi tumulum de cæspite Amyntas:
Hæc uoluit raram præmia habere fidem.
Mœsta gemunt armenta: mali fures'que, lupi'que
Extincto hoc sibi iam cuncta licere putant.

Dat Cereri has Teleson spicas, hæc ferta Lyeo,
Hæc niuei lactis pocula bina, Pali.
Pro quibus arua Ceres, uites fœcundet Iacchus:
Sufficiat pecori pabula læta Pales.

Cum primum clauso pecus emittetur ouili:
Urbs mea Leucippe cras adeunda mihi est.
Huc ego uenalem'que agnum, centum'que, Chariclo
Ipsa mihi mater quæ dedit, oua fero.
Afferri tibi uis croceos, niueos'ue cothurnos?
An'ne colum, qualem nata Lyconis habet?
Ipse feram quæ grata tibi. tu basia iunge:
Gaudia Leucippe nec mihi grata nega.
Cras, ubi nox aderit, odiosæ elabere matri:
Has'que inter corylos ad tua dona ueni.

Illi in amore pares, uicini cultor agelli
Thyrsis, cum'que suo Thyrside fida Nape.
Ponimus hos tibi Cypri immortales amaranthos:
Lilia'que in sacras ferta parata comas:
Scilicet exemplo hoc, nullo debilis æuo
Floreat æternum fac dea noster amor.
Sit purus, talis'que utriusque in pectore candor:
In foliis qualem lilia cana ferunt.
Vt'que duo hi flores seruo nectuntur in uno:
Sic animos

Sic animos neclat una cathena duos.

Candida Niconoe uiduæ spes una Terillæ

Montiuagas iaculo figere certa feras,

Hunc tibi syluipotens arcum Latonia ponit:

Atque hæc in pharetra condita tela sua.

Illam cara parens tenero sociauit Icasto:

Ignotique iubet iura subire thori.

Tu dea, si syluis ægre discedit ab altis:

Si lacrimans coetus deserit illa tuos:

Tu bona sis, felixque illi: tu numine dextro

Optata lætam fac dea prole domum.

Quæ duo fert collis fœcundi uinitor Acmon

Expressi primum cymbia plena meri:

Hæc auidis multi satyris, multi'que parenti

Dat iucunde tibi uitis Iacche sator.

Illi illæsa suis linquant uineta rapinis:

Tu tua fac largis auctibus uua fluat.

Has Vulcane dicat syluas tibi uillicus Acmon:

Tu sacris illas ignibus ure pater.

Crescebant ducta e' Stati propagine syluis:

Iam'que erat ipsa bonis frugibus umbra nocens.

Vre simul syluas: terra simul igne soluta

Fertilior largo fœnore messis eat.

Vre istas, phrygio nuper mihi consita colle

Fac pater a' flammis tuta sit illa tuis.

Iam telas, calathos'que, omnes'que perosa labores,

Quos uitæ quæstus pauperioris habet:

Palladio radium cum templo appenderet Eufro:

Iam'que sequi Venerem constituisset: ait.

Hactenus o' mihi culta uale dea: & hæc tua multi

Instrumenta tibi plena laboris habe.

Iam tua perpeſſam dudum mala, lenis habebit:

Adiunget' que ſuo me Cytherea choro .

Nec mirum, quam prætulert phryx arbiter : a' me

Si prælata tibi nunc quoque Cypris erit .

Dum furit Alcippes forma Nonacrius Almo :

Crudeli demum tabe peresus obit .

Almo capripedi non impar arundine Pani,

Quo nullus nymphis gratior Arcas erat .

Spargite odorato paſtores flore ſepulchrum :

Et ſimul infuſum lac'que merum'que fluat .

Non iacet ille ſub hac (ut uos male' creditis) ulmo :

In nemus Idalium tranſtulit alma Venus .

Hic Veneris paſcit' que greges, cantat' que : canentis

Vna' aſtant charites uerſibus : aſtat amor .

Quin etiam hunc paphii nymphe non ultima coetus

Deperit : & parilis feruor utrunque tenet .

Nimirum felix Almo : modo perfida uirgo

Aſpera ſæuitiæ det documenta ſuæ .

Pæſtoris pereat ſuccenſa informis amore :

Reſpuat aſſiduas ſurdior ille preces .

Præbeat hinc ſæuis tam dura exempla puellis :

Formoſa ut faſtus diſcat habere modum .

A C O N .

Candida nympħa olim, & Pani dilecta lyceo

Crinibus, & culto conſpicienda ſinu :

Nunc uox, flebilibus quæ ſemper mœſta querelis

Deſertos ſcopulos, deuiat' que antra colis :

Salue Echo officioſa, tibi ſub rupe cauata

Ipe ego lanigeri ductor Acon pecoris

Conſtituam umbroſum frondenti ex ilice lucum :

Mollia' que ex hedera ſerta uirente feram .

Tu leuib' allecta modis ſylueſtris auenæ

Excipis

Excipis e' summo carmina nostra iugo:
 Tu quoties querimur, duros miserata dolores
 Nescio quid tristi flebile uoce gemis.
 Nec mirum, quod tu lacrimis mouearis amantum:
 Perdidit infelix te quoque durus amor.
 Ah misera, ipsa quidem & strophio subnectis olenti,
 Et longa molles excolis arte comas.
 Ipse puer cultus, ipse omnes odit amores:
 Insequitur' que uagas per iuga summa feras.
 Quin humiles addis uoces: & uerba precantis
 Effugit: atque omnes negligit ille preces.
 Siste gradum immitis, non te uiolenta læna,
 Non curuo sequitur dente timendus aper:
 Sed quæ candenti facie, niueis' que papillis
 Vel magno possit nympha placere Ioui.
 Hæc aget & celeres tecum per saxa lacænas:
 E' que suis tendet retia rara plagis.
 Siste gradum immitis, & quas nunc tendis ad undas
 Effuge: causa tuæ fons erit ille necis.
 Heu miserande puer, tales ten soluere pœnas?
 Ten decuit tam crudelia fata pati?
 Magna parens, quæ cuncta leues producis in auras:
 Totâ que diuerso germine picta nites:
 Quæ passim arboribus, passim surgentibus herbis
 Sufficis omnifero larga alimenta sinu:
 Excipe languentem puerum, moribunda' que membra:
 Aeternum' que tua fac dea uiuat ope.
 Viuet, & ille uetus zephyro redeunte quotannis
 In niueo candor flore perennis erit.
 Tu mecum socias Echo coniunge querelas:
 Et percussa nouis fletibus antra sonent.
 Crudelis Telayra, meos quid spernis amores:
 Quid miseras surda despicias aure preces.
 Hei mihi nulla ouium tangit me cura mearum:
 Ex quo me iste tuus perfida torret amor.

III V XX
It miserum pecus : & feri sub uesperis umbras,
Per se ipsi redeunt in sua tecta greges.
Nec mihi iam niueo complent mulctralia lacte:
Densa'que permissis uellere terga gerunt.
Quin etiam aucupii studium, quo clarus habebar:
Languenti penitus excidit ex animo.
Ite leues passim syluis impune uolucres:
Cuncta nouus nostra e' mente fugauit amor.
Ocia agunt pedicæ, & lento lita uimina uisco
In tenebris amites, nexa'que lina iacent.

D A M O N.

Vos mecum e' uitreis nymphæ Naucelides antris,
Vos mecum uiridi paulum confidite in herba:
Atque hoc, quem canimus, dignum concedite carmen.
Sic uobis patrias circum' uernantia ripas
Prata, neque hybernis niuibus uiduata, neque æstu,
Sufficiant uarios in ferta nitentia flores.
Quis dolor o' syluæ, quæ uos o' prata tenebat
Mœstities? quanto squalebant omnia luctu?
Cum ferus e' gelidis descenderet alpibus hostis
Assidue: & Latias in prædam uerteret oras,
Tum (reor) inuita creuerunt pabula terra:
Inuitæ e' densis ceciderunt frondibus umbræ.
Quippe abigi raptas pecudes, passim'que uidebant
Pastorum rapidos tectis inuoluier ignes.
Ipsi etiam hircipedes fauni, satyrí'que bicornes,
Ipsæ etiam in solos nymphæ fugere recessus:
Et se se ignotis occultauere latebris.
Et furor is fines prope iam peruaserat omnes:
Iam'que fugæ deerat nobis locus: undique sæuos
Cernere erat latis hosteis discurrere campis.
Nulla usquam tam secretis lustra abdita syluis,
Nulla aditu est tam difficili, tam'que inuia rupes:
Quo'

Quo' non sæpe greges subitis incurfibus acti
 Fessa reclinarint in nudo corpora saxo.
 Et tamen hinc etiam crebri eiecere tumultus.
 Infuetæ'que maris pecudes (miserabile uifu)
 Qua pelagi mediis iter intercluditur undis:
 Adriaticos uidere finus: & littore curuo,
 Pro uiridi cytiso, pro molli graminis herba,
 Et spinis paliuri, & acuta carice pasta
 Potarunt falfas nitidis pro fontibus undas:
 Et sæpe irati timuerunt murmura ponti.
 Quod si non nouus ex alto demiffus olympto
 Hanc cladem nostris deus auertiffet ab oris:
 Aufoniis effet nullus iam pastor in agris.
 Nos miseri patria extorres, rerum omnium egeni
 Ah dolor, externas longe erraremus ad urbes.
 Hic nobis dulces saltus, hic pascua nota
 Restituit: tuti'que inquit iam pascite tauros:
 Iam solitas tuti collo suspendite auenas:
 Et defueta diu responsent carmina colles.
 Ergo omnes, ueluti & Phœbo, Pani'que quotannis
 Pastores certis statuent tibi sacra diebus
 Magne pater: nostris'que diu cantabere syluis.
 Te rupes, te saxa, cauæ te maxime Iuli
 Conualles, nemorum'que frequens iterabit imago.
 At uero' in nostris quæcunque in saltibus usquam
 Quercus erit: ut quæque suos dant tempora flores:
 Semper erit uariis ramos innexa coronis:
 Inscriptum'que geret felici nomine truncum.
 Tum quoties pastum expellet: pastas'ue reducet
 Nostrum aliquis pecudes: toties id mente reuoluens,
 Ut liceat factum esse tuo pater optime ductu:
 Nullus erit, qui non libet tibi lacte recenti:
 Nullus erit, qui non teneros tibi nutriat agnos.
 Quin audire preces nisi dedignabere agrestes:
 Tu nostra ante deos in uota uocaberis omnes.

X L X X
Ipse ego bina tibi solenni altaria ritu
Et geminos sacra è quercu lauro' que uirenti
Vicino lucos Nauceli in littore ponam.
Hic ripa passim in molli uiridante sub umbra,
Vere nouo dum floret ager: dum germinat arbos:
Dum uario resonant uolucrum nemora auia cantu:
Annua constituam festis conuiuia ludis.
Ductores pecudum hic omnes, ruris' que coloni
Contendent iaculo, & rapidi certamine cursus:
Horrida'que agresti nudabunt membra palæstra.
Ipse pecu & tenero uictor donabitur hœdo.
Præterea dulci cantabit harundine Damon
Carmina, quæ puerum docuit Sebetheius Aegon:
Olim cum procul hinc illis habitaret in oris.
Sicilicet ut quondam Assyrii pastoris amore
Capta dea, & cœlum, & fulgentia sydera relinquens,
Omnibus his cari præferret Adonidis ignes.
Fortunate puer tecum formosa Dione,
Vna' tondet oues: una' ad mulctralia ducit:
Atque immunda premit cœlestibus ubera palmis.
Dum te complexu teneat, non illa recusat:
Tecum inter pecudes uili requiescere culmo.
At Mars ipse deæ cura tabescit inani.
Fortunate puer, mediis pecus errat in agris:
Tu uiridi deiectus in umbra, aut carmina cantas:
Aut posita in Veneris gremio ceruice recumbis.
Illa tibi amplexus molles, illa oscula iungit:
Cara'que odoratis exornat tempora fertis.
Sed tu nimirum, sed felix tu quoque Damon,
Cui licuit toties Aegonem audire canentem:
Diuini'que senis sacros ediscere cantus.
Quod mihi magne pater, diuum si fata dedissent:
O quales tibi cantaret mea fistula laudes.
Et quodcunque tamen felix concedet Apollo,
Hoc te unum canet, hoc uni tibi seruiet omne.
Nec quicquam

Nec quicquam magis optarim, quam' digna triumphis
 Posse tuis : uideor' que canens tua maxima facta,
 Inferior nullo, non ipso Aegone futurus.
 Ipse suo certet mecum si carmine Daphnis :
 Ipse suo Daphnis cum carmine uictus abibit.
 Interea agrestis dignatus sibila cannæ,
 Dexter ades nobis : & quæ facis, oia serua.

Florentes dum forte uagans mea Hyella per hortos
 Textit odoratis lilia cana rosis :
 Ecce rosas inter latitantem inuenit amorem :
 Et simul annexis floribus implicuit.
 Luctatur primo : & contra nitentibus alis
 Indomitus tentat soluere uincla puer.
 Mox ubi lacteolas, & dignas matre papillas
 Vidit, & ora ipsos nata mouere deos :
 Impositos' que comæ ambrosios ut sensit odores :
 Quos'que legit diti messe beatus arabs :
 I dixit mea, quære nouum tibi mater amorem,
 Imperio sedes hæc erit apta' meo.

Nox bona, quæ tacitis terras amplexa tenebris
 Dulcia iucundæ furta tegis Veneris.
 Dum propero in caræ amplexus, & mollia Hyellæ
 Oscula : tu nostræ sis comes una uiæ.
 Ne'ue aliquis nostros possit deprehendere amores :
 Aera coge atras densius in nebulas.
 Gaudia qui credit cuiquam sua : dignus, ut unquam
 Dicier illius nulla puella uelit.
 Non sola occultanda cauis sunt orgia cistis :
 Sola'ue Eleusinæ sacra silenda deæ.
 Ipse etiam sua celari uult furta Cupido :
 Sæpius & pœnas garrula lingua dedit.
 Vna meos, quos & miserata est, nouit amores
 Officiis nutrix cognita fida suis.

Hæc quæ me foribus uigilans expectat in ipsis:
In'que sinum dominæ sedula ducit anus.
Hanc præter, tu sancta, latent qua cuncta, silent'que,
Tu dea sis flammæ conscia sola meæ:
Quæ'que libens astat nostrorum testis amorum
Nobiscum tota nocte lucerna uigil.

Oppositæ obstabant nostris prius auctibus ædes:
Nec nos cœlum ulla, sol'ue iuuabat ope:
Disiectis herus his, solem'que admisit: & aura
Concessit nobis liberiore frui:
Hinc nos in tenues certatim tollimur auras:
Ornamur'que nouæ frondis honore caput.
At tibi, cui sacris musarum & Apollinis umbris
Exstructas libuit posthabuisse domos:
Perpetuo similes nostris sint frondibus anni:
Nobiscum aulescant & tibi cuncta bona.

Quem toties uixisse anima redeunte renatum
Mutato fama est corpore Pythagoram:
Cerue iterum ut docti cœlo generatus Asylæ
Viuat: ut antiquum seruet in ore decus.
Dignum aliquid certe uoluit: sic fronte seuera est:
Sic in se magno pectore totus abit.
Possit & ille altos animi depromere sensus:
Sed ueteri obstrictus religione, filet.

Iam tristi canos glacie concreta capillos
Afflatu tepidi fugit hyems Zephyri.
Iam nitidum os uer molle auras in luminis audet
Proferre: & teneros ferre per arua pedes:
Tempora diuersis tollens halantia fertis
Purpureo matris Cloridos e' gremio,
Summittit uarios tellus fœcunda colores:
Conuertit molles quo' puer ipse gradus.
Et passim,

Et passim, quacunq; uagos deflectit ocellos :
 Diffugiunt toto nubila cuncta polo .
 It prope, & incutiens blandas in pectora flammæ,
 Omnia iucundo accendit amore Venus .
 Quam circum uario texunt e flore coronas
 Perfusæ assyrio rore comam charites .
 Hinc atque hinc mille aligeri pueri assultantes
 Coniiciunt certa spicula acuta manu .
 Concipiunt dulces animalia cuncta calores :
 Perisultant que uagi pabula læta greges .
 Ipse suam de colle canens Amaryllida pastor
 Pascentes tenui carmine mulcet oues :
 Percussæ que noua dulcedine corda uolucres
 Dant lætos passim per nemora alta sonos .
 Sola gemit, ramo que sedens miserabilis alto
 Absumptum mater Thracia plorat Itym .
 Di bene, quod nostræ tam longe a finibus oræ
 Exactum hoc dira est in regione scelus .
 Heu puer infelix, matri dum brachia tendit
 Assueto cupiens se implicuisse sinu :
 Illa ferox animi, cæco que agitata furore
 Auulsum duro diripit ense caput .
 Quid facis ah demens? ferro quem perdis iniquo,
 Is lac dulce tuis hausit ab uberibus .
 Huic tu longinquam uotis optare senectam,
 Huic solita es teneras dicere blanditias .
 Heu miserum genitor nati, infelix que sepulchrum,
 Ut tibi nunc toto pectore sensus abit :
 Infandæ nosti cum coniugis impia facta,
 Atque epulas mensis tristibus appositas :
 Nempe furis : stricto que ruis uiolentior ense :
 Sed sublata alis effugit illa nouis .
 Perpetuum fleat, ut merita est : longis que querelis
 Antiqui poenas persoluât sceleris .
 Nos Turri, dum florifero uere omnia rident :

LXXX

Spirat & e' summis gratior aura iugis :
Nos hic, qua nitida pellucens riuulus unda
Labitur : & leni murmure dulce sonat :
Cantemus molles formosæ Amathufidos ignes :
Quid' que ferox arcu, quid face possit amor.
Armenias domat hic tygres, sæuas' que lænas :
Eripit hic summo, cum libet, arma Ioui.
Hoc duce pallentes umbras oegrius Orpheus,
Tristia' que horrendi limina regis adit :
Nec timuit, sæuæ'ue Hecates immania monstra,
Armata'ue atris Eumenidas facibus.
Hoc cogente, omni cum pectore consternatus
Abrupto nollet uiuere coniugio.
Paulatim Euridices, ueterum' que oblitus amorum
In Calaim tota mente Boreiadem
Exarsit : penitus' que infano perditus igne
Sensit feruentes intima ad ossa faces.
Formose o' Calai pulchræ genus Orythiæ
Te uirides syluæ, te caua saxa sonant.
In te suspirat : solum te cogitat Orpheus :
Per te sollicito nulla quies animo est.

Dum te blanda tenent æstiuas rura per umbras :
Delitiis nimium rura beata tuis :
Ecqua tui mea lux tangit te cura poetæ :
An meus e' toto pectore cessit amor ?
Cessit amor certe : soliti cessere calores :
Absentis meminit nulla puella uiri.
Non ita concussæ uersantur in arbore frondes,
Cum grauis aduersum uerberat aura nemus :
Quam' facile instabilem permutat foemina mentem,
Exclusus queritur, qui modo carus erat.
Non sic Penelope, non sic Capneia coniux
Antiqui meruit temporis esse decus.
Altera defuncti moerens ad busta mariti,
Noluit

Noluit abrepto uiuere sola uiro :
 Altera bis denos potuit durare per annos :
 Dum cupidos cauta detinet arte procos :
 Fœmina nunc uarias tantum connectere fraudes
 Nouit, & in nulla certa manere fide .
 Quid queror hæc demens ? duræ procul ite querelæ :
 Ite : decent tristes tristia uerba uiros .
 Lætus ego : hos neque enim sequitur mea Gellia mores :
 Mutare incertos nec solet illa thoros .
 Quin & mansit amor : soliti mansere calores :
 Absentis meminit nostra puella uiri .
 Multa tamen timeo : tu multa ignosce timenti .
 Hei mihi pars nostro nulla timore uacat .
 Ah quoties uereor , dum picta per arua uagaris :
 Dum rutilæ texit florida ferta comæ :
 Ne ruat e' summis in te Saturnius astris :
 • Sis'ue alii cuiuis grata rapina deo .
 Pressit Amimonen mediis Neptunus in aruis :
 Dum premeret summum uirginis urna caput .
 In mediis Io campis perpeffa tonantem est :
 Horrida'que hirsuta cornua fronte tulit .
 Hinc quoque tartareo raptam Deoida curru
 Abstulit infernus in sua regna pater .
 Sydonis errabat nitidos Europa per agros :
 Cum medium ficto per mare uecta boue est .
 Non tamen hos tantum causantur prata timores :
 Hei mihi quam' multos dat quoque sylua metus .
 Hic habitant satyri'que , & agrestia numina Panes :
 Et timor errantum Faunus Hamadriadum .
 Hic uersa in uirides Daphne peneia frondes :
 Hic fera mutato Parrhasis ore fuit .
 Hic & semicaper spreta Nonacrius Aegla
 Arcadicæ forma uirginis incaluit .
 Quod si tecum iisdem pariter uersarer in aruis :
 Et domus unanimes clauderet una duos :

Non ego coelicolum fraudes, non furta timerem:
Vndique me socio Gellia tuta fores.
Si uersa est Daphne: sicula Proserpina ab Aethna
Si uecta est stygiis in noua regna rotis:
Quid mirum? facile est deceptas fraude puellas
Fallere, nullius quas tueatur Amor.
Ipse ego perpetuo tecum mea uita manerem:
Sic possem nullos extimuisse deos.
Sæpe pererrabat tacitos Atalanta recessus:
Tuta tamen fido Mimalione fuit.
Cingeret obsessos seu curua indagine colles:
Seu cuperet sæuas cominus ire feras:
Hærebat lateri semper comes ille: nec unquam
A domina lato longius ungue fuit.
Ergo huic non summi fraudes nocuere tonantis:
In'que suo nullos sensit amore dolos.
Sic ego per syluas tecum, & per prata uagarer:
Grata essent sine te gaudia nulla mihi.
Nunc pariter nitida recubare iuualet in umbra:
Et capere in uiridi somnia grata thoro.
Nunc pariter nuda fontes inuadere sura:
Torrida dum siccus finderet arua canis.
Sæpius in syluis lepores captare fugaces:
Et uolucres fictis fallere carminibus.
Sæpius in denso conuicia dicere luco:
Et madidas uerno flore ligare comas.
Sæpius umbroso choreas ductare sub antro,
Cum daret agrestes tibia pulsa sonos.
Ah quoties tales inter mea Gellia lusus
Iniicerem cupidas in tua colla manus:
Dulcia'que è roseis furarer basia labris,
Basia mi cunctis anteferenda bonis.
O niueam, siqua hæc referet mihi gaudia, lucem:
Gratior optatis non erit ulla meis.
Semper Erythreis signabitur illa lapillis:
Semper erit

Semper erit sacros inter habenda dies.
 Nunc, quoniam tecum me non licet esse, caueo
 Mutuus extincto ne cadat igne calor.

I O L A S .

Pascite oues teneras herbas per pabula læta,
 Pascite, nec plenis ignauæ parcite campis:
 Quantum uos tota minuetis luce, resectum
 Fœcundo tantum per noctem rore resurget:
 Hinc dulci distenta tumescant ubera lacte:
 Sufficient'que simul fiscellæ, & mollibus agnis.
 Tu uero uigil, atque canum fortissime Teucon,
 Dum pascent illæ late per prata, luporum
 Incurfus subitos, sæuas'que auerte rapinas.
 Interea hic ego muscoso prostratus in antro
 Ipse meos solus mecum meditabor amores:
 Atque animi curas dulci solabor auena.
 O' formosa Amarylli, nihil te absente uidetur
 Dulce mihi: nunc & nitido uere omnia rident:
 Et uario resonant uolucrum nemora auia cantu:
 Exultim uirides ludunt armenta per herbas:
 Lasciu'que agni, infirmis'que artubus hœdi
 Cornigeras matres per florida prata sequuntur.
 Non tamen ista magis sine te mihi læta uidentur:
 Quam' si tristis hyems, nymbis'que rigentibus horrens
 Agglomeret gelido canas aquilone pruinas.
 Dulce apibus flores, riui sitientibus herbis,
 Gramen oui, capræ cythisus, Amaryllis Iolæ.
 Non ego opes mihi, non cursu præuerrere uentos
 Optarim magis, aut pecoris quodcunque per orbem est,
 Quam' te Amarylli meis uinctam retinere lacertis:
 Et tecum has inter uitam deducere syluas.
 Est mihi præruptis ingens sub rupibus antrum,
 Quod croceis hederæ circum' sparsere corymbis:

Vestibulum'que ipsum syluestris obumbrat oliua :
Hanc prope' fons , lapide effusus qui defilit alto,
Defertur rauco per læuia saxa susurro :
Hinc late licet immensi uasta æquora ponti
Despicere, & longe uenientes cernere fluctus .
Hoc mecum simul incoleres Amarylli : simul'que
Mecum ageres primo pecudes in pascua sole :
Mecum abeunte die pecudes caua in antra uocares .
Sæpe etiam denso in nemore, aut conualle uirenti
Dum tenue arguta modularer harundine carmen :
Tu mecum ipsa esses simul, astares'que canenti :
Quin & nunc pariter caneres : nunc dulcia nostro
Basia'que, & ueneris misceres gaudia cantu :
O' solum hoc superi misero concedite amanti .
Tum licet & rapiantur oues, rapiantur & agni,
Ipse tamen Croeso mihi ditior esse uidebor .
Mollibus in pratis Lycidæ post Daphnidis hortos,
Purpureos flores texenda in ferta legebas :
Cum te succincta tunica, fufis'que capillis,
Et uidi simul, & totis simul ossibus arsi .
Pone' sequebatur Gorge soror, & tamen audax
Accessi : sum'que ipse meos tibi fassus amores .
Risisti, & sertum, nitida quod fronte gerebas,
Tanquam ex se cecidisset humi, iecisti, abiens'que
Liquisti, aduertens collegi protinus ipse :
Seruau'que : & adhuc tanquam tua munera seruo .
Et quamuis dudum foliis languentibus aret :
Non tamen est sertum quicquam mihi carius illo .
Ex illo, semper'que fui tibi deditus uni,
Pulchra'que nulla meis oculis te præter habetur .
Sæpe mihi Alcippe uicina & munera misit :
Et dixit, formose puer, quæ munera mittit,
Mittit & ipsum animum : tu & munera suscipe, & illum .
Sed potius Amarylli alio quam' tangar amore,
Sudabunt humiles flauentia mella genistæ :

Et molles

Et molles uiolæ dura nascentur in orno :
 Inculti'que ferent candentia lilia uepres .
 Et mœstis ululæ cædet philomela querelis .
 Quantum uer formosum hyeme est iucundius atra :
 Quantum mite pirum sorbis est dulcius ipsis :
 Quantum hirsuta capella suo fetosior hœdo :
 Quantum nocturnis obscuri uesperis umbris ,
 Puniceo exurgens aurora nitentior ortu est :
 Tantum Amarylli aliis mihi carior ipsa puellis .
 Hæ testes mihi sunt syluæ , uicina'que syluis
 Populus hæc : cuius tale est in cortice carmen .
 Vellera cum fetis aries mutarit , & hyrcus
 Velleribus fetas , Amaryllida linquet Iolas .
 Sed nos dum longum canimus , iam roscida luna
 Apparet cœlo : & rapidus deferbuit ardor
 Demerso iam sole : tamen miser ardet Iolas .
 Nimirum nostros nequeunt lenire calores ,
 Nec quæcunque rigent Rhyphæo in monte pruinæ ,
 Nec quæcunque simul gelido durantur in Hebro :
 Fors tamen hos illa ipsa , potest quæ sola , leuabit .
 Sperando interea duros solabimur ignes .
 At uos , ne sero dum nox insurgit olympto ,
 Præsidio umbrarum fretus malus ingruat hostis ,
 Iam pasti secura greges in ouilia abite .

Quam tibi nunc Iani donamus Hyella calendis
 Exprimit hæc uultus parua tabella meos :
 Nulla fuit cuiquam similis mage , pallet imago ,
 Assiduus nostro pallor in ore sedet .
 Est excors , sine corde & ego , quod pectore nostro
 Ipse amor ereptum sub tua iura dedit .
 Non loquitur , mihi sic tua cum datur ora tueri :
 Torpet nescio quo lingua retenta metu :
 Vnum dissimile est nobis : felicior uno est
 Tam sæua quod non uritur illa face .

Quod si etiam uretur, tuo enim sub lumine quicquam
Illæsum flammis non licet ire tuis:
Non ut ego assiduo infelix torrebitur igne:
In cinerem primo corruet illa foco.

Beate somne, nocte qui hesternæ mihi
Tot attulisti gaudia:
Vtinam deorum rector ille cœlitum
Te e' cœtu eorum miserit:
Quæ sæpius mortalibus uera assolent
Mitti futuri nuntia.
Tu, quæ furenti surdior freto meas
Superba contemnit preces:
Facilem Neæram præbuiisti: quin mihi
Mille obtulit sponte oscula:
Oscula, quæ Hymeti dulciora sint fauis:
Quæ suauiora nectare.
Vere beate somne, quod si sæpius
His diue me afficias bonis:
Felicior cœlestibus deis ero,
Summo nec inferior Ioue.
At tu proterua quolibet fuge: eripe
Complexibus te te meis:
Si somnus iste me frequens reuiserit:
Tenebo te, inuitam licet.
Quin dura sis, sis quamlibet ferox: eris
Et mitis, & facilis tamen.

Canale optime, tu'que Bembe, nostri
Amantissimi utrique, amati utrique
A' me non minus atque utrique ocelli,
Quid rerum geritis? ualetis? atque
Absentis memores sodalis estis?
Quid uestræ faciunt bonæ camcenæ?
Scripserunt'ne

Scripserunt'ne aliquid noui, meum post
 Discessum? puto: nanque quicquid oci
 Per uestras datur occupationes,
 Id uos in studiis bonis locatis.
 Ad me mittite siquid ædidistis,
 Oro: nec socium bonum negate
 Vestri participem leporis esse.
 Sed quid cum Venere ipsa, amoribus'que
 Quam' uobis bene conuenit? caletis?
 Amatis'ne? dei deæ'que faxint
 Et feliciter, & bene ipsi ametis:
 Quam'que ego leuius'que, lenius'que.
 Heu heu me miserum mei sodales
 Quam' sæuo teneor furore: quam' mi
 Totus, quam' grauis incubat Cupido.
 Non quod non amer: intimis medullis
 Ardet me mea Hyella, perditæ'que
 Quantum quid pote perditissimum esse.
 Verum hoc me excruciat magis: potiri
 Mea nam uetitum mihi puella.
 Quod si quando licet: nihil leuatur,
 Sed ferus magis excitatur ardor.
 Nam cum nec saturum recedat inde
 Cor mi: nec furor expleatur unquam
 Caris basiolis, papillulis'que,
 Atque his, qui miserum necant, ocellis:
 Augescit magis, & magis. quid heu heu
 Aduerso paterer deo, atque iniquo:
 Si hæc incommoda sunt secundo amore?

Quamuis te peream æque Hyella totam:
 Nec pars sit mea lux tui ulla, quæ me
 Sæuo non penitus perurat igne:
 Fulgentes tamen illi, amabiles'que

Illi, syderibus pares ocelli
Nostri maxima causa sunt furoris.
O' cari nimis, o' benigni ocelli,
O' dulci mihi melle dulciores,
Quando uos misero mihi licebit
Vique ad millia millies trecenta,
Aut ultra hæc etiam, suauari?
Di concedite mi, hoc misello amanti:
Dein nil graue perpeti recuso:
Quin & si peream, lubens peribo.

Dispeream nisi tu uita mihi carior ipsa,
Atque anima, atque oculis es mea Hyella meis.
Dispeream nisi ego uita tibi carior ipsa,
Atque anima, atque oculis sum mea Hyella tuis.
Nec satis hoc: uellem pote quicquam his esset haberi
Carius, ut posses carior esse mihi.
Tu quoque idem uelles, pote quicquam his esset haberi
Carius, ut possem carior esse tibi.
Di facite hæc longos concordia duret in annos,
Tam'que bonos mutent secula nullam animos.

Iam cœli referat fores
Aurato e' thalamo exiens
Mater Memnonis, & diem
Læto prouocat ore.
Nos te maxime maximi
Minister canimus patris:
Quo nullus qui hominum genus
Tam præsens iuuet, usquam est.
Tu nostras celer ad preces,
Aures protinus ad deum has
Defers: nec tenues finis
Euanescere in auras.
Tu, dum fers noua nuntia

Virgini

Virgini ætherio patri
Dilectæ, quibus indicas
Magni uota tonantis :

Nobis fers noua nuntia :

Quis e' faucibus impii

Erepti hostis, in aurea

Coeli templa uocamur .

Adsis o' bone : & in dies

Semper nos propius iuua :

Nec patrocínio tuo

Vnquam mitte tueri .

Vrbs, quam' uetusto uectus ab Ilio

Post fata Troum tristia, post graues

Tot patriæ exhaustos iniquo

Tempore, tot pelago labores,

Ducente demum Pallade, qua rapax

Cultos per agros Medoacus fluit,

Diis fretus Antenor secundis

Condidit, Euganeis in oris .

Tu nuper flos, & decus urbium,

Quascunque tellus Itala continet :

Magnas tot artes, tot uirorum

Ingenia, & studia una alebas .

Te septicornis Danubii accola,

Te fulua potant flumina qui Tagi,

Longe' que semoti Britanni

Cultum animi ad capiendum adibant .

At nunc, acerbi heu sæua necessitas

Fati, seueras ut pateris uices :

Vt te ipse uastatam uel hosti

Conspicio miserandam iniquo .

Quid culta tot pomaria conquerar ?

Tot pulchra flammis hausta suburbia ?

Quid glande deturbata ahena

Mœnia ? præcipitem'que sæui
 Mauortis iram ? bellá'que persequar
 Horrenda ? squammis ille adamantinis,
 Ferro'que confertam rigenti
 Induerat chlamydem trilicem .
 Fremens'que , & atrum lethifera manu
 Telum coruscans , secum odia , & necis
 Contemptum , & insanos tumultus ,
 Secum animos , rabiem'que agebat .
 Ille urbe ab imis sedibus eruta
 Impleffet omnes funeribus domos :
 Non ille uel sexu , uel ullo
 Efferus abstinuisset æuo .

Qui modo ingentes animo parabam
 Bembe bellorum strepitus'que , & arma
 Scribere , hoc uix exiguo male audax
 carmine serpo .

Nempe amor magnos uiolentus ausus
 Fregit iratus : uelut hic tonantem
 Cogit , & fulmen trifidum rubenti
 ponere dextra .

Sic eat , fors & sua laus sequetur
 Candidæ uultus Lalages canentem , &
 Purius claro radiantis astro
 frontis honores .

Nota Lesbœ lyra blanda Sapphus :
 Notus Alcæi Lycus altiori
 Scripserit quamuis animosum Homerus
 pectine Achillem .

Dia Tithoni senioris uxor ,
 Quæ diem uultu radiante pandis :
 Cum genas

Cum genas effers roseas rubenti
præuia soli:

Roscos ut nunc per agros uagari
Sub tuo aduentu iuuat: & recentis,
Quæ tuos semper comitantur axes,
excipere auras.

Sicca iam sæuus calor uret arua:
Iam uagi aurarum leuium filescent
Spiritus: iam sol rapidus furentes
exeret ignes.

Dum licet, læti simul ite amantes:
Dum licet, molles pariter puellæ
Ite flauentes uario capillos
nectite seruo.

Nunc simul telis positis amores
Matris hærentes lateri, & decentes
Gratiæ plenos referunt resecto
flore quasillos.

Per feros saltus, per iniqua lustra
Vndique occultas agitans latebras
Fertur, & syluas uaria ferarum
strage cruentat,

Clara Latonæ soboles: nitenti
Huic comæ in nodum religantur auro:
Pendet aurata ex humeris pharetra:
pendet & arcus.

Circum' eunt nymphæ simul: illa cursu
Gaudet effusos agitare ceruos:
Hanc iuuat certis iaculis fugaces
figere lyncas.

Nunc ab umbroso simul esculeto
Daulias late queritur: querelas
Consonum circa nemus, & iocosa
reddit imago.

ILVXXXI
Nil tecum mihi iam Phœbe est, nil Nox mihi tecum :

A' uobis non est nox'ue, dies'ue mihi .

Quantum ad me, ut libet auricomo Sol igneus axe

Exeat eoe Thethyos e' gremio :

Vt libet, inducat tacitas Nox atra tenebras :

Fert mihi noctem oculis, fert mihi Hyella diem .

Nam quoties a' me nitidos auertit ocellos :

Ipsa in luce etiam nox tenebrosa premit .

At quoties in me nitidos conuertit ocellos

Candida & in media fit mihi nocte dies .

Diua, quæ has cœli generatim in auras

Cuncta producis : cupidum'que amorem

Vndique infundens, facis, ut perenne

sœcla propagent :

Qua nihil lætum sine, amabile est nil :

Nil'que iucundum : sine qua nec ipsæ

Gratæ erunt cuiquam Charites, nec ipsa

blanda uoluptas :

Dum tibi lætus reparatur orbis :

Dum per herbosos pecus omne campos

Vim tuam sentit : tibi plaudit omnis

diua uolucris :

Dum nihil, quamuis rigidum, ferox'que est,

Ossibus quod non penitus sub imis

Sit tua tactum face : quod tuos non

sentiat ignes :

Vna erit flammaram, & amoris expers ?

Vna secura his Lalage resistet ?

Tange age ultrici dea, pertinacem

tange flagello .

Quod si ita tanges, fera ut obstinatum

Applicet nostris animum querelis,

Nec preces ultra miseras, superba

negligat aure :

Conferam

Conferam lætam tibi diua myrtum,
 Vancius qua se rosifer reuoluit:
 Hanc mero supplex, niueo & rigabo
 lacte quotannis.

Hanc & immistæ pueris puellæ
 Circum' agent lætas pariter choreas:
 Téque prima unam, simul ultima unam
 uoce canent te.

Te canent unam, uolucem'que natum:
 Qui ferox, duro & similis parenti,
 Acer & flamma est, & agente certum
 cuspide uulnus.

Spargam odoratas uiolas, rosas'que
 Ipse ego, uoti'que reus secabo
 Grata torquatae ante tuas columbæ
 guttura flammæ.

Quid magis aduersum bello est? belli'que tumultu
 Quam' Venus? ad teneros aptior illa iocos.

Et tamen armatam hanc magni pinxere Lacones,
 Imbelli'que data est bellica parma deæ.

Quippe erat id signum forti Lacedæmone natum:
 Sæpe & foemineum bella decere genus.

Sic quoque non quod sim pugna uersatus in ùlla,
 Hæc humeris pictor induit arma meis.

Verum hoc quod bello, hoc patriæ quod tempore iniquo
 Ferre uel imbellem quemlibet arma decet.

Borgettus lepidus catellus ille,
 Cuius blanditias proteruiores,
 Et lusus herus ipse tantum amabat,
 Quantum tale aliquid potest amari.
 Nec mirum dominum suum ipse norat,
 Caram bima uelut puella matrem:
 Et nunc illius in sinu latebat:

Nunc blande affiliebat huc & illuc
Ludens, atque auido appetebat ore,
Erectis modo cruribus, bipes'que,
Mensæ astabat herili, hero'que ab ipso
Latratu tenero cibum petebat.
Nunc raptus rapido malo'que fato
Ad manes abiit tenebricosos.
Mifelle o' canis, o' miser catelle
Nigras paruulus ut timebis umbras:
Ut sæpe & dominum tuum requires:
Cui pro delitiis, iocis'que longum
Heu desiderium tui relinquis.

Vos mihi nunc magnos partus, ortus'que beatos
Felicis pueri, quo pingua culta uetusti
Naonis exultant, quo Carnia tota superbit:
Dicite pierides. uos illum e' matre cadentem
Exceptis'que sinu: & uestris fouistis in ulnis:
Et teneram molli cinxistis baccare frontem.
Nec uero uos tantum has accessistis ad oras,
Nec solæ uenistis ad hæc uos munera musæ:
Affuit ipsa etiam pariter, spargens'que salubres
Pyxidos arcanae succos, partus'que dolores
Leniit: & matrem foetu Lucina leuauit.
Affuit Idalio ueniens e' colle Dione:
Nectare odorato crines perfusa fluentes.
Assuetæ'que leues Charites ductare choreas.
Hæ simul ambrosia puerum lauere liquenti:
Et paruas tenui cunas strauere lygustro.
Venit & undifluis properans Naucelus ab antris:
Quem propè cœruleo e' fluctu formosa Metone
Ibat: eos circum' uiolas'que rosas'que rubentes
Vimineis nymphæ calathis, &serta ferebant
Purpureo e' narcisso, e'que auricomo chrysantho.
Quæ postquam totas passim sparsere per ædes:
Iucundo'que

Iucundo'que domus late fragrauit odore :
 Protinus ecce Iouis magni de limine parcaë,
 Antiquæ parcaë, niueo queis corpora amictu,
 Cana'que chaonia uelantur tempora quercu.
 Hæ postquam & matrem complexæ, & fronte serena
 Oscula iunxerunt paruo felicia nato :
 Candida uersato torquentes uellera fuso,
 Fatidico tales fuderunt pectore uoces.
 O' fausto nimium cœlo, diuis'que benignis,
 Nate puer, cresce, & dulces solare parentes :
 Et fatis lætare tuis. tu'que optima mater,
 Tu'que boni genitor pueri, quos omine dextro
 Castus hymen quondam thalamo sociauit in uno :
 Accipite hæc lætis animis, neu posse moueri.
 Credite quæ uero concordēs ore canemus.
 Q ualis in aprico se tollit amaracus horto :
 Q uam studio solers omni formosa puella
 Ipsa suos alit in lusus : & lenibus undis
 Irrigat : illa leuis paulatim surgit in auras
 Pulchrior : & dulcem late diffundit odorem.
 Sic puer augescens primo se tollet in æuo :
 Nec se quisquam illi formoso conferet ore.
 Mox ubi iam ualidus teneris excesserit, annis :
 Tunc illum sacras artes, doctæ'que docebunt
 Aonides, princeps'que chori formosus Apollo.
 Illi & diuini latices Aganippidos undæ,
 Et uirides Hemi saltus, Pindi'que patebunt.
 Mars quoque bellipotens simul, & Tritonia uirgo
 Muneribus bellorum, & sæuis instruet armis.
 Doctior haud illo quisquam seu cominus ense,
 Seu sit opus ualida concurrere longius hasta :
 Siue inflectere equum, atque arctis compescere habenis :
 Seu libeat laxare, & aperto currere campo.
 O' quoties medio feruentem in turbine belli
 Conuersæ fugient acies : at percitus ille

Obuia quæque metet infesto corpora ferro.
Non secus ac præceps hyberno flumine torrens,
Cum tumidus late, ac pluuiis hyemalibus auctus
Proruit aduersas infano uortice syluas:
Obstantes'que trahit ripas: campos'que per omnes
Cum sonitu ruit: & rapido rotat omnia fluctu.
Fortunate puer: nunquam non uictor in hostem
Bella geres: magni'que æquabis facta parentis.
Ille olim magnos Gallorum strauit aceruos:
Itala'que hostili manarunt arua cruore:
Tum, cum cæsa uirum serpens per corpora Lyris
Aequoreas cursum uix tandem inuenit in undas.
Ille idem gelida cum gens immanis ab arcto
Ausonios passim se se effudisset in agros:
Audaces animos ingenti strage repressit:
Alpinas'que niues Germano sanguine tinxit.
Nunc quoque fallaces abrupto fœdere Gallos
In latios iterum fines, prædam'que ruentes
Proteret: & uictos (diuinis credite parcis)
Italia expellet: cœlo'que æquabit honores.
At tu siqua tuo restabunt bella parenti:
Ausoniam infenso nec dum pacarit ab hoste:
Ipse tua fidens animi uirtute subibis
Hæc primum: mox externas egressus in oras
Implebis totum factis audacibus orbem.
Te duce & Ausoniæ rursus rediuiua resurget
Gloria: & antiquum late uictoricibus armis
Reddetur Latio imperium, tua signa timebunt
Vna' omnes passim populi, qua'que incidit alto
Aequore, & oceano feruentes abluit axes,
Qua'que coloratis effert se Phœbus ab Indis.
Tum demum placida contentus pace quiesces:
Sæua'que mitescet posito discordia ferro.
Aurea tum ueniet sæclis melioribus ætas:
Felices'que anni, & Saturnia regna redibunt:
Tum pax

Tum pax alma colet terras, Astrea'que uirgo :
 Immersum'que gemet stygio scelus omne baratro .
 Felices, qui tam læto nascentur in æuo .
 Tu uero ante alias superis gratissima tellus,
 Quam tanto diuum genitor dignatur alumno,
 Tu nitidas passim fruges, arbuſta'que læta,
 Sponte tua, nullo'que hominum cogente labore
 Produces : humiles sudabunt mella genistæ :
 Inculti'que ferent candentia lilia uepres .
 Finierant parçæ . tum Iuppiter æthere ab alto
 Intonuit læuum : & cœli de parte serena
 Perspicuus multo fulgor cum lumine fulsit .

E X P H I L E M O N E .

Siquid remedi lacrimæ afferrent malis :
 Minor'que semper fieret lugenti dolor :
 Auro parandæ lacrimæ nobis forent .
 Sed nil here istæc profunt : res ipsæ nihil
 Mouentur istis : siue tu semper fleas ,
 Seu nunquam, eandem pergere insistent uiam .
 Quid his iuuamur ergo ? nil certe : at dolor
 Vt ipsa fructus arbor, sic lacrimas habet .

E X M A E N A N D R O .

Nam si te alumne genitrix cum peperit tua,
 Hac forte es unus omnium in lucem æditus :
 Tibi cuncta ut euenirent quæ uelles bona :
 Id'que annuit magnorum quispiam deum :
 Iure optimo indignaris : ualde enim is tibi
 Fallax repertus . quod, si eisdem legibus
 Quibus nos omnes (tragicis ut uerbis loquar)
 Aequè patentem cunctis aerem trahis :
 Ferenda sunt hæc leuius, & omnis rectius

Ratio habenda . denique hæc summa est , puta
Hominem esse te , quo nullum animantium omnium
Extolli , item'que deprimi citius solet .
Ipsum'que id haud iniuria , minimarum enim
Id uirium est : & maximis semper studet :
Plurima'que secum commoda conterit cadens .
Tu uero & magna non amisisti bona ,
Et mediocria sunt ipsa ea , quæ pateris mala .
Ergo & modeste alumne quod reliquum est feras .

Salue cura deum , mundi felicior ora ,
Formosæ Veneris dulces saluete recessus :
Ut uos post tantos animi , mentis'que labores
Aspicio , lustro'que libens : ut munere uestro
Sollicitas toto depello e' pectore curas .
Non aliis Charites perfundunt candida lymphis
Corpora : non alios contexunt ferta per agros .

Desunt nonnulla quæ
erant in litura .

I M P R A E S S V M V E N E /
 T I I S A M I C O R V M
 C V R A Q V A M P O /
 T V I T F I E R I
 D I L I G E N /
 T E R .

Prælo

Ioan. Tacuini.

M. D. X X X.

I I I I. I D.

M A R T.

C A V T V M nequis Librarius hæc im/
 pune describat, uendat'ue, prout in Senatus Ve/
 neti, ac totius Italiae Principum decretis patet.

IMPRÆSSVM WENI

TISS AMICORVM

CVRA QVAM TO

TVIT FIERI

DILLIGEN

TER.

Paris

Joan. Tacuin.

M. D. XXXX.

IIII

M A T

CAVIT...
pue delo...
net, ac...

